PRIMA DIŒCESANA
SYNODUS
QUAM
D. MERCURIALIS PRATI
ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS VALLISUMBROSÆ

Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia

FOROLIVIENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS

Sanctissimi Patris, ac D. N. Pii Papæ VI. Prælatus Domesticus & Solio Pontificio Assistens

IN SUA CATHEDRALI ECCLESIA

CELEBRAVIT

VI., V., & IV. Kal. Maij Anno MDCCXCII.

FAVENTIÆ MDCCXCIII.

Ex Typographia LUDOVICI GENESTRI

Superiorum assensu.

INDICTIO

PRIMÆ DIŒCESANÆ SYNODI

D. MERCURIALIS PRATI

Ordinis S. Benedicti Congregationis Vallisumbrosæ, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Foroliviensis, SSmi D. N. Pii Papæ VI. Prælatus Domesticus, & Pontificio Solio assistens.

S. Mercurialis Primus Forol. Epūs

AD Pastoralis muneris Officium pertinet Synodum Diœcesanam convocare, Nosque multo ab hinc tempore de hac necessitate edocti consilium cepimus de tanto negocio aggrediendo. Nunc, Deo dante, Synodalem hunc primum Conventum in Nostra Cathedrali Ecclesia celebrandum indicimus die 25. Septembris

a 2 hujus

hujus anni, quæ erit Dom. IV. ejusdem mensis, & XV. post Pentecosten.

Omnes igitur monemus, qui de jure, vel consuetudine tenentur Synodo interesse, ut eo die adveniente, Episcopium Nostrum veste talari, & superpelliceo mundo, cum bireto, vel proprii Ordinis habitu induti conveniant, sub S. Obedientiæ præcepto, pœnis canonicis, aliisque arbitrio Nostro contra inobedientes infligendis. Illos tantumodo abesse tolerabimus, quos vel necessitas, vel legitimum aliquod impedimentum a Nobis, vel Vicario nostro Gen. adprobandum detinebit. Nemo præterea alium suo loco sufficiat, sed unusquisque per se interesse teneatur. Sicuti vero Sancta sancte tractanda sunt, sordes a propria conscientia sedulo expungentes ad Sacram Synaxim de manibus nostris in solemni Missa eadem die suscipiendam, vel Divina Mysteria celebranda, omnes rite sint parati.

Encyclicas Vicariis Foraneis Nostræ Diœcesis jam dari jussimus, ut auditis Parochis, ea inter se conferant, quæ vel sunt animadversione digna, vel abusu in Gregem Dominicum irrepsere, utque ea ad Nos statuto tempore perferre debeant, quod & factum novimus. Nunc eos iterum hortamur, ut Indicem Ecclesiasticorum omnium in propria eorum Congregatione degentium ad Nos, vel Vicarium Gen. mittant, cui adnexus sit titulus Beneficii ab unoquoque possessi, (si illud obtineat).

Animarum Curatores, antequam propriam Paræciam deserant, ut huc conveniant, Sacerdotes a Nobis ad Confessiones habendas adprobatos, curent eorum Paræciæ præficiendos a Vic. For., quibus a Nobis

bis hæc facultas confertur. Nomina vero eorum, qui vices Parochi subibunt, Nobis, vel Vic. N. Gen. per quindecim dies ante Synodi coactionem mittantur, ut adprobatio Nostra accedat.

Quisquis ex Beneficiatis Inventarium tam Bonorum, quam Suppellectilium nondum dederit, illud, antequam ad Synodum conveniat, omnimode exhibeat, sub pœnis alias latis.

Tempore Synodi procul sint jurgia, contentiones, & dissidia. Unusquisque stet in suo gradu, nec alius aliena jura pervadat. Nulli autem volumus præjudicium aliquod inferri ratione loci, vel præeminentiæ tam in incessu, quam sedendo.

Cum autem omnis Gratia de sursum veniat a Patre luminum, enixe Deum exoremus, ut mentibus nostris Spiritum S. suum infundat, qui lumine claritatis suæ nos regat, sensus nostros aperiat, ut ea quæ decent, & ad Populi salutem firmandam, ad errores depellendos, & virtutes comparandas apprime conveniunt, statuentes, debitus Deo honor tribuatur, Ecclesiæ decori prospiciatur, vitia curentur, & bona opera augeantur. Omnia Orationibus, & Obsecrationibus impetrentur. Volumus ergo, ut a prima die Septembris usque ad finem Synodi, addatur in Missis singulis Collecta de Spir. S. Insuper in Ecclesia Cathedrali, in Parochialibus, & Monialium in quolibet die Dominico ejusdem mensis post Missam conventualem, præcipimus decantari Litanias majores, cum suis precibus. Item semel tantum Missam de Spir S a Capitulo, & Parochis, statuta die ipsis benevisa, in qua, & SSmum Eucharistiæ Sacramentum publicæ Fidelium venerationi exponatur, ut quorum communis est causa, communis etiam sit deprecatio.

Illis

Illis vero Christifidelibus, qui Litaniis prædictis, & Missæ intervenerint, nec non ante SSmum Christi Corpus devote oraverint, pro felici Synodi absolutione, quoties id præstabunt, quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta in Domino elargimur.

Statim ac præsentes Ecclesiæ Nostræ Cathedralis foribus affixæ erunt, & in Sacristiis Ecclesiarum Parochialium Diœcesis, volumus eas omnes afficere, ac si essent singulis personaliter intimatæ.

Dabamus ex Nostro Episcopio Foroliviensi die 30. Julii 1791.

M. EPISCOPUS FOROLIVIEN.

Vincentius Milani Not. Episc. in Civil.

Die 4. Augusti 1791.

Præsens Edictum affixum fuit ad valvas hujus Ecclesiæ Cathedralis ac Abbatialis, & Parochialis Ecclesiæ S. Mercurialis per Petrum Archetti Cursorem hujus Curiæ Episcopalis; nec non missum fuit omnibus Parochis hujus Civitatis, & Diœcesis.

Ita est Vincentius Milani Not. Episc. in Civil. rogat &c.

Cum Illmus, & Rmus Episcopus propter adversam valetudinem coactus fuisset suspendere Synodi celebrationem, ea postea mediantibus edictalibus Litteris expeditis, & affixis de more &c. die 10. Aprilis currentis Anni 1792. indicta fuit pro die 26. ejusdem Mensis.

Ita est Vincentius Milani Not. Episc. in Civil.

ORATIO

HABITA AB ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO

DOMINO EPISCOPO

IN PRIMA SYNODALI ACTIONE

VI. Kal. Maji.

CUm in ea vel rerum asperitate, vel temporum malitia, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, occulto Dei judicio, ne dicam apertissima punientis animadversione versemur, in qua libere, & irreligiose male sentiendo, pessime agendo, pro sua quisque libidine philosophatur, non dubitamus plurimorum sermone in vulgus emanasse, atque percrebuisse injuriosam quidem, non novam tamen, calumniam Sacrę huic Synodo inustam, quæ in omnes fere Ecclesiasticos Conventus disseminari consuevit.

Non enim desunt, qui peritiam Legum, Morumque Sacrorum usurpantes, aut studium etiam erga Nostri Ordinis dignitatem præseferentes vane, nisi etiam perniciose, nos huc convenisse arbitrentur, idque apud imperitos speciosis comprobent argumentis. An vero conclamant, Ecclesia universa, atque adeo hæc ipsa Foroliviensis, tum ad Fidei normam, tum ad Cleri Disciplinam, tum ad Populi mores informandos quidquam desiderat, cui per Summorum Pontificum Constitutiones, per Conciliorum Decreta, per ipsas demum Prædecessorum Synodicas Sanctiones, jam multo ante consultum non fuerit? aut aliquid nunc demum tam reconditum proferetur, quod non olim fuerit, & felicissime excogitatum, & opportunissime constitutum? Injuriosum sane antiquis Legibus, earumque Latoribus videtur quidquid iisdem de rebus sanciri præsumitur. Nisi vero etiam superbi, & insolentis hominis habeatur tot celebrium sanctitate, zelo, doctrinaque Prædecessorum laudem in quasdam veluti oblivionis tenebras conari detru-

detrudere. Nonne fatius effet, fudbunt alii, veteres afferere Leges, quam novas rurfus, citoque negligendas perfringendafque proferre? Sunt demum qui prudentiores fibi vifi urgent flagitando, quid tandem utilitatis novæ Synodi pariant? Anceps nempe commodum, Legum ceteroquin fanctarum perniciofam incoftantiam, opportunum denique tempus, quo Ecclefiæ hoftes, etiam ætate hac noftra in ipfa Italia, fœdiffime abufi, doctrinam maculaverunt, vetuftamque Difciplinam, ac Libertatem Ecclefiafticam, tum maxime, cum ore pleno fe revocaturos prædicarent, profanis hominibus contaminandam tradiderunt.

Hi profecto detractores habentes fpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes (*a*), fi in viros Difciplinæ Ecclefiafticę peritos offendant, ftatim fuo ipfi ore judicium fuæ proferunt temeritatis. Oftendunt enim fe noftrarum rerum ignariffimos, vocibus, fententiifque fpeciofis utendo, quarum nihil præter inanem fonitum perceperunt. Verum quoniam, affirmante Apoftolo, debitores fumus fapientibus, & infipientibus (*b*) confilii Noftri rationem antea explicabimus, quo facilius, atque libentius, quæ a vobis exoptamus, corde magno, & animo volenti tum fufcipiatis, tum abfolutiffime perficiatis.

Ego vero fateor permultos extitiffe viros Sanctitatis, Pietatis, Divinique Cultus ftudio celeberrimos, qui Ecclefiam Legibus, Inftitutis, Monitis, Moribufque præclariffimis in fingulas ætates ita illuftrarunt, ornaruntque, ut omnia hac in re farta tecta effe videantur. Unde vix effe aliquid dixeris, quod ad illorum folertiam, prudentiam, fapientiamque per Succeffores adjici poffe judicetur. Atqui fi de ceteris Ecclefiis facile nunc patiar filere, Forolivienfem hanc Noftram minime fentio prætermittendam, in cujus commodum tam multa per Sapientiffimos Prædeceffores Diœcefanis in Synodis funt conftituta, ut ab eorum folertia æquiparanda, tenuitas hæc Noftra, atque infirmitas remotiffime femper abfutura videatur. Horum præclara inventa, fi temporum injuria ab hominum quodammodo memoria exciderunt,

(a) 2. *ad Tim. cap.* 3. 5.
(b) *ad Rom.* 1. 14.

runt, viget tamen, meritoque plures in annos vigebit Synodus noviſſime celebrata ab immortalis memoriæ Prædeceſſore Franciſco Piazza, qui ſaluberrimis Sanctionibus ſuis ea, quæ reperit jam utiliter excogitata, ac ſancita, novit longo ſtudio ac labore comptehendere. Hæc omnia, inquam, male feriatis hominibus, etiam non poſtulati, ultro libenteſque fatemur. Quid ergo? Nonne in dies nova ſemper emergunt, quæ Paſtorum vigilantiam excitent, nunc ut veterum Legum ſenſum definiant, nunc ut eas uſibus, locis, hominibus, hic circumſcribentes, illic ampliantes accommodent, nunc denique ut, ſi quid pravum hominum malitia cuderit, vel Gregis nova neceſſitas poſtulaverit, novis etiam Decretis hoc invehant, illud ſevera comminatione proſcribant? Quoties, (quæ humanæ imbecillitatis conditio eſt) revocanda priſca Cleri Sanctimonia, comprimenda naſcentium germina vitiorum, laudabiles corroborandæ conſuetudines, Dei cultus, ſi qua neglectus, inſtaurandus, denique ut Eccleſiaſticus Ordo, vel ornamenta Dignitatis, vel præſidia ſtabilitatis ſuæ ſarta tecta tueatur, plurima, quæ aut tepentibus hominibus, aut temporis ictibus dilapſa fluxerunt, novis ſeveriſque Legibus vincienda ſunt? Enim vero Fides Catholica una, fixa, immutabiliſque eſt, quippe quæ ab uno Deo profecta, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio (*c*) ea nec temporum varietatibus, nec hominum opinionibus, nec impiorum ſubjicitur commutationibus. Attamen ubi hæreticorum impietas, annis procedentibus alicui Myſterio tenebras ſparſura debacchata eſt, novo eam Eccleſia anathemate confodit, novas identidem propoſuit Declarationes, quæ Fidem ſuam clariori in lumine collocaret. Mores ſane, Diſciplinamque prætermitto univerſam, quæ ſemper uſui, tempori, hominibus imperiiſque non tam pro neceſſitate, quam opportunitate per S. Canones accommodata fuit.

Una tantum conſuetudo in Eccleſia Catholica tot inter tempeſtates firma, immotaque ſemper fuit, Fidelium quodammodo Teſſeram, ac Notam conſtituens, ut ſcilicet ab Apoſtolica Romana Cathedra veritatis æternæ Magiſtra, tum Fidei Præcepta, tum morum

 nor-

(c) *Jac.* 1. 17.

norma religiose desumeretur. Fundamentum unum illa est, extra quod quælibet fabrica, si consurgit, infirma est, exorbitatque (*d*) Arca novi Testamenti, extra quam veluti ex illa veteris Noe, nullibi salus, certissimum semper occurret naufragium.

Nihil igitur in Ecclesia novarum Legum vetat promulgationem. Quid quod etiam solemni præcepto Episcopis iterata Synodorum collectio sollicite demandatur? Tridentini profecto Patres (*e*) singulis quibusque annis Diœcesanos Conventus celebrari, & vehementer optarunt, & Lege sanciverunt. Neque hoc tum primum ab ipsis excogitatum. Noverant enim jam inde a priscis temporibus (*f*) Concilia Provincialia, & Diœcesana bis in anno fuisse celebrata. Noverant Concilium Nicænum II., sæculo VIII. vertente, ita veterem hanc Disciplinam temperasse, ut semel in anno, & Provincialia, & Diœcesana Concilia cogerentur. Noverant Innocentium III., sæculo XIII. ineunte Nicænæ Sanctioni adhærentem, statuisse semel in anno Provinciales, & Diœcesanas Synodos esse cogendas. Hæc ergo cum Tridentini Patres præ oculis haberent, antiquum præceptum de Synodo Diœcesana semel in anno habenda Episcopis renovandum censuerunt, mitius quam antea præceptum Metropolitanis imponentes de Synodo Provinciali quolibet triennio celebranda. An vero credibile est prudentissimos Patres putavisse singulis annis omnes Diœceses novis Constitutionibus indigere? Minime vero. Quid igitur Decretum persuasit? Ea videlicet ratio, quam Nos ab illis edocti in vobis cogendis ante oculos proponebamus.

Videri nihilominus alicui potest, Episcopos aliter potuisse necessitatibus suarum Ecclesiarum consulere, privatis scilicet commonitionibus utendo; sed quoniam vis unita fortior, quoniamque ætate hac nostra hominum prava dogmata interserentium, & numerus, & malitia præter-modum excessit, necessitas postulare videtur, ut secundi Ordinis Pastores una simul in Domino congregati, & vocem Episcopi audiant, & ipsos videat, audiatque Antistes, ab ipsisque coram referen-

(d) *S. Hormisda Ep. ad Posses. Episc.*
(e) *Sess. 14. c. 2. de Ref*
(f) *Ben. XIV. de Syn. Diœc. Lib. 1. c. 6.*

ferentibus Diœcesis incommoda accipiat, atque ipsi vicissim tum remedia opportune adhibenda, tum Pastoralis Charitatis argumenta recipiant, quibus omnibus, ecclesiastica veluti unitate confirmata, acies quædam validissima instruatur, quæ vitiorum teterrimas munitiones audeat expugnare. Omnes itaque simul ascendamus ex adverso, opponamus murum pro domo Israel. Per nos enim alenda spirituali cibo Populorum Fides, conculcandæ humanæ sapientiæ opiniones, confutanda impiorum sophismata; fulciendus Divinus cultus, si qua violatus; asserenda ecclesiastica Disciplina, quam funditus conantur convellere; dissolvenda impie sentientium Philosophorum occulta quædam conjuratio, quæ diligentissima cura undique collegit, quidquid umquam erroris per singulos Antesignanos, vel ad Fidem labefactandam, vel ad mores corumpendos repertum, prolatumque fuit. Uno verbo, ea ipsa utamur ratione, ut nos Catholicæ Romanæ Ecclesiæ filios obsequentissimos exhibeamus, quibus ipsi ad defectionem concitandam abusi sunt.

Hæc pro virili parte a Nobis curanda esse, magis magisque cognovimus, absoluta demum secunda totius Diœcesis lustratione. In ea quidem perspeximus summa cordis Nostri exultatione plurimorum in veritate disseminanda solertiam, Divini Cultus curam præcipuam, morumque gravitatem, quæ Fidelibus esset exemplo in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Pastores denique invenimus vere bonos, Ecclesiæ Ministros vere inconfusibiles. At cum non omnes in tam magna hominum infirmitare invenerimus iisdem virtutibus præditos, iisdemque laudibus dignos, propterea ut etiam debiliores, Deo adjuvante, proficiant, fortiorum exempla imitentur, & quidquid pravum, atque distortum in semetipsis repererint, corrigatur omnino, ac tollatur, ad Synodales Constitutiones censuimus deveniendum, in quibus conficiendis absit, ut supra cæteros Antecessores extollamur, ut eis gloriam suam ullo modo præreptam velimus; quinimo in omnium vestrum conspectu profitemur, nihil Nos in Nostra Synodo proferre decrevisse, quod eorum Legibus non innitatur, quas vel declarantes, vel novis usibus accommodantes, in pristinam dignitatem, integritatemque restituendas curabimus.

 Dum

Dum hæc omnia in animo volveremus, & in iis mentem, cogitationemque defixam haberemus, currenti jam voluntati ſtimulos addidit, ſtudiumque concitavit Venerabilis exemplum Metropolitæ, & Compaſtoris Noſtri Antonii Codronchii Ravennatis Eccleſiæ Antiſtitis, qui nihil veritus hæc ipſa, quæ in Sacros Conventus inepte conjiciuntur, licet Eccleſia illa tot nominibus præclariſſima tum antiquis, tum recentioribus uteretur Synodicis Conſtitutionibus, tamen ſecundum datam ſibi a Deo ſapientiam, Clerum ſuum contraxit, aſeque Leges protulit, quæ admirationem ab omnibus, gratulationem, ac laudem a Pontifice Maximo Pio VI. jure meruerunt referre, qui poſt lectam Archiepiſcopi Diœceſanam Synodum, ceteris, qui opus conſimile aggrederentur, eam pro norma proponere non dubitavit (*g*), cum pleniſſimum, inquit, inventuri ſint promptuarium omnia accurate complectens, quæ ad Clerum apprime inſtruendum, & perverſa dogmata eliminanda, Populique mores reformandos ſunt accommodatiſſima.

Conſilii Noſtri explicata ratione, os Noſtrum patet ad vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, cor Noſtrum dilatatum eſt (*h*) Videte qua vocatione vocati eſtis, ut in ea digne ambuletis. Quot malis, trbinibuſque quibuſdam in Regionibus Eccleſia Mater affligetur, quanto gladio feriatur, quibus perſecutionibus Chriſtianus Populus intereat. (*i*) probe jam noſtis. Quæ vero ubique impendeant, haud difficili conjectura poteſtis proſpicere. Alicubi quædam Atheorum Natio omnes Reipublicæ Ordines invadens, ut nullum eſſe Deum deſuper commentata erat, ita neminem in ſe regnantem pati velle demonſtrat. Itaque Arcem Sion, firmiſſimam Eccleſiæ Petram Romanam Fidem validiſſime oppugnant, apprehenderunt munitiones expulerunt Duces fortiſſimos, Fideique propugnatores, Evangelica Conſilia tamquam ſtultorum deliramenta proſcripſerunt, Templa ſanctiſſimis Religionibus conſecrata, vel diruerunt, vel impiiſſima ſuperſtitione polluerunt, univerſas deinceps nulla poteſtate, nulloque metu va-

(g) *Litteris ad Archiep. datis 23. Jul. 1791.*
(h) *2. ad Cor. 6. 11.*
(i) *S. Greg. hom. de Cur. paſt.*

vastant Civitates: uno verbo, impiorum dominatio Plebis Christi miserabilis subversio est. Liceat enim mihi incidentia nunc mala verbis iis deplorare, quibus Divus Bernardus suæ Patriæ impendentibus ruinis tanto ante illacrymatus est (*l*) Alibi vero Religionis fundamenta per cuniculos convellere adnixi, argenteos, & illimes credendi fontes corrumpentes, consecratas tot sæculorum consensu Traditiones labefactantes, scandalizarunt plurimos in Lege, lupique rapaces, proh dolor! Pastorum veste personati, laqueus ruinæ facti Populo Dei, universum Gregem vel mactant, vel inaudita prævaricatione disperdunt.

Eja agite, tantæ Matris contritioni succurrite; tot mala vestram tandem commiserationem permoveant. Nolite pati pretiosum Christi Sanguinem impiorum malitia, qua inutilem reddi, qua impudentissime conculcari. Nondum quidem in hoc discrimen vocati estis, quo multi Fratrum Nostrorum illic pertentantur, quorum animi firmitas, bonorum publicatione, notis infamiæ, exilii, mortisque comminatione, virgis denique (*m*) fustibus, lapidibus, ac ferro crudelissime oppugnatur. Sed quoniam ad servitutem Dei accessistis, maturius Animam vestram ad tentationem præparate. Quis scit, an cum alibi servos suos tentaverit Dominus, huc fidem vestram periclitaturus accedat? Quis scit an prius fortissimos quosque ideo cribraverit, ut eorum Fidei constantia nobis exemplo, & adjumento simili in certamine futura sit? Ut ut vero res habitura est, non prorsus extra teli jactum constituti sumus. Serpit etiam ubique putida tabes, & quo latius, quoque inimicus est interius, eo pene malum desperatius (*n*).

Permulti infra mediocritatem ingenio præditi, celebritatem nominis in pravarum opinionum promulgationem contulerunt. Hinc corruptissimi libri, tum ex Regionibus exteris advecti, tum Nostro in solo procusi, undique disseminantur, qui vel splendidis Auctorum nominibus extolluntur, vel disertissimis eloquentiæ præstigiis conspersi, Fidei morumque corruptione eo facilius Populos inficiunt, quo pauciores sunt qui, ne ab impiorum fallacia irretiantur, certa ab incertis, tuta a pericu-

 losis

(l) *de Conv. S. Pauli serm.* 1.
(m) *Audainel*
(n) *S. Bernar. serm.* 33.

losis possint secernere. Hinc Sacramentorum frequens usus callida vel Religionis, vel abusus calumnia minuitur: hinc Populum vitiis circumseptum, Patrum suorum Religione, & Fide tamquam indifferenti spectaculo affectum, sensim a Templis, a Sacris Concionibus, ab omni denique cristiano cultu cernimus abhorrere. In tanta rerum perturbatione, cum non minor calamitas Populo Nostro impendere vereamur ea, qua Fratres Nostri premuntur, minime usque eo erimus desides, ut non mature a Grege Nostro deceptionem teterrimam propulsemus.

Verum qua ratione tot malis medebimur? Si Salvatoris Nostri exemplo prius faciamus, deinde facienda Populos doceamus; si quæ hic verbis sancimus, reipsa in nostris Ecclesiis præstemus. Nostis profecto Sacerdotes nunc Medicos, nunc Patres, nunc Pastores, nunc Apostolos Ecclesiæ nominari: Aliquando etiam Fidelium Redemptores, Salvatores, terrenos denique Deos. (o) Atqui tot diversa Muneris nostri Officia nec recte, nec digne, nec nostra, nec Populorum optata utilitate præstabimus, nisi prius ea probe callentes, ea ipsi antea perficiamus, quibus contra impendentes, irruentesque calamitates constantiam nostram augere, nosque veluti munitionibus fortissimis circumsepire curemus. Ordo quippe est, ajebat Gregorius Nazianzenus, ordo quippe naturalis est, prius purgari, deinde purgare; a Sapientia institui, atque propria demum Sapientia alios instruere; lux fieri, & alios illuminare; ad Deum appropinquare, & alios ita deducere, santificari, & postea sanctificare (p) Salus enim subditorum integritas est Præsidentium. (q)

Suscipite ergo quæ proferimus Statuta ea charitate, observantia, docilitate, quam erga Antistites suos Forolivienses de se prædicari semper voluerunt, atque operibns comprobate, exteras etiam Nationes singularem hanc Nostræ Civitati laudem jure ac merito contulisse. Verum Natio justorum, inquit Ecclesiasticus, obedientia, & dilectio (r) Suscipite, iterum dicam, summa animorum consensione, neque

---

(o) *Hier. ad Chor. 1. de Eccl. hier. c. 3., S. Clem. Constit. Apost. c. 2. 26. Hier. in Add. 27. S. Chrys. de Sacer. lib. 3. c. 5., & 9.*

(p) *Orat. 1. n. 122.*

(q) *Trid. Sess. 6. de Ref. c. 1.*

(r) *Ecc. cap. 3.*

neque Auditores obliviosi facti, sed factores operis (s) pro suo quisque modulo sacrarum Legum fructum, & sibi percipiat, & a se derivando, in fidelem Populum longe, lateque diffundat. Nihil profecto erit asperum, nihil odiosum, nihil severum, quod a Nostra lenitate summopere abhorret, nihil quod non facillimum volentibus, nihil denique, quod quoquo versus pastorali mansuetudine, & charitate temperatum esse non videatur.

Quod si aliquis abusus irrepserit, ad quem eliminandum, radicitusque tollendum, Sacerdotalis Constantia adhibenda postularetur, non ita demisse, de vestræ fervore Pietatis sentimus, ut jugum Christi vobis semper non suave visum iri putemus, ut non potius vos adjutores Nostros ad Divinam Gloriam proferendam futuros esse confidamus.

Quapropter Judicium Patris audite Filii, & sic facite, ut salvi sitis (t): Vos primum alloquimur, Venerabiles Fratres, vos adhortamur, affectione potius, quam potestate. Vos inquam, quos tamquam præcipuos Adjutores, & Consiliarios Nostros, paterna in Domino benevolentia observamus, & colimus pro Dignitate qua præfulgetis, ita Ordinis vestri munere fungimini, ut a vobis tamquam a Ducibus, & Magistris, ceteri quoque de Clero gravitatem, modestiam, pietatem, Divinique Cultus ediscant diligentiam. Recogitate ideo vos ab omni Clero segregari, ideo tamquam munus Deo specialiter fieri, ut commendandam præ cæteris regulam teneatis (u) ut ex vobis ceteri sumant, quod recte imitentur.

Vos vero Animarum Pastores in difficillimam sollicitudinis Nostræ partem advocati in tanta pravitate, & improbitate temporum, ita vos gerite, ut nullum, si fieri potest, e tot malorum vitiorumque colluvione Populus vester capiat detrimentum: pecoris enim jactura summa est Pastoris ignominia (x). Plantate Fidem bonosque mores in Pueris: rigate in Adolescentibus: obsecrate Senes: increpate

---

(s) *Jac. 1. 25.*
(t) *Eccl. c. 3.*
(u) *Petr. Dam. Ep. 3. cap. 3.*
(x) *S. Ambr.*

te contumaces: ferte curam in omnibus, dati enim estis indoctis Doctores, Consolatores Pauperum, solatium oppressorum, Patres Orphanorum, Defensores Viduarum, omnibus denique debitores (z) Forma denique Gregis effecti ex animo, veritatem, quam prædicatis, sanctorum operum exemplo confirmandam curate. Cujus enim vita despicitur, quid restat, nisi ut ejus prędicatio contemnatur? (y)

Vos denique quotquot estis vocati in sortem Domini, quam nacti estis vitę professionem, religiosa pietate custodientes, proficite, ut abundetis magis: Justorum enim semita, quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem (*) Tenete disciplinam (**) nec dimittatis eam, quia ipsa est vita vestra, quam morum gravitate, sermonum verecundia, habitu incessuque modesto pręferentes, immarcescibilem hęreditatem comparabitis, quam dabit servis suis fidelibus justus Judex Jesus Christus, cui est honor, & glorla in sęcula sęculorum. Amen.

IN-

(z) *Petrus Blef. de Inst.*
(y) *S. Ambr. de Discip. sec. Lib.* [illegible]
(*) *Prov. 4. 18.*
(**) *Ibid. 13.*

INDEX
CAPITUM SYNODI.

IN-

INDEX APPENDICIS.

Ad Caput I. *De Fide*.

Ad Cap. II. *De Baptismo*.

Ad Cap. III. *De Sacram. Confirm.*

Ad Cap. IV. *De SSma Euchar.*

Ad Cap. V. *De Sacrificio Missæ*.

Ad Cap. VI. *De Sacram. Pœnitentiæ*.

In Nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

NOS

D. MERCURIALIS PRATI

ORDINIS S. BENEDICTI

CONGREGATIONIS VALLISUMBROSÆ

Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia S. Foroliviensis Ecclesiæ Episcopus, SSmi D. N. Pii Papæ VI. Prælatus Domesticus, ejusque Pontificio Solio Assistens.

SEQUENTES CONSTITUTIONES, ET DECRETA

IN HAC

PRIMA NOSTRA DIŒCESANA SYNODO

Statuimus, & promulgamus.

CAPUT I.

De Fide, & Fidei Professione.

I. CUM Fides sit humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo (1), ab ea recte exordiamur. Ac primum quidem pervulgatam Augustini sententiam meminerimus in Fidei articulis non curiose inquirendum, neque eorum rationem subtiliter investigandum; sed in ejus obse-

A

(1) *Trid. Sess. 6. c. 8.*

obſequium captivemus intellectum: Crede ergo, ut intelligas, & noli intelligere, ut credas (2). Quæ tamen Fides ſine operibus mortua eſt, ex operibus conſumata eſt (3); Juſtus enim ex Fide vivit (4).

II. At Fidem, quam corde gerimus, etiam ore profiteri tenemur (5). Quapropter Nos laudabili Catholicorum Epiſcoporum conſuetudini parentes, in hac Diœceſana Synodo omnium primi coram Domino fidei profeſſionem, quam Romana Eccleſia tenet, & prædicat, ſincero ex animo emittemus, veram ſimul obedientiam Sanctiſſimo Romanæ, atque adeo univerſalis Eccleſiæ Pontifici ſpondebimus, quod deinde præſtabunt quotquot Beneficio aliquo, etiam ſine cura Animarum fruentes, Nobiſcum convenerunt, juxta formam in Appendice exaratam num. I.

III. Hanc vero profeſſionem impoſterum, ut omnes emittant, diſtricte mandamus: 1. Proviſi de Dignitatibus, & Canonicatibus in Noſtra Cathedrali (Coadjutores vero poſt mortem tantum Coadjuti) non ſecus ac omnes novo Beneficio inſigniti, etiamſi per eos id præſtitum fuerit in primi Beneficii adeptione. Neque hoc temere pro ſingulorum arbitratu, ſed quoad Canonicos tum coram Nobis, tum coram Capitulo. Cæteri vero coram Nobis, vel Vicario N. Gen., ſaltem primo ab adepta poſſeſſione bimeſtre. Detrectantes fructus ſuos non facere declaramus. 2. Confeſſarii, & Concionatores ad id munus primo in Diœceſi electi, antequam muneri ſuo dent operam, ſub arbitrariis pœnis. 3. Eodem modo punientur, ſi infra bimeſtre a die eorum proviſionis id non præſtiterint, omnes tum primum pubblice docentes ſacras, & profanas quaslibet Diſciplinas, Grammaticam, aliaſque bonas quaſcumque artes Ludimagiſtri, quocumque nomine cenſentur, ſive ſua ſponte munus ſuſcipiant, ſive a Commune aliquo, Univerſitate, Collegio, aut Orphanotrophio conducantur. Inſuper qui medicam artem profitentur meminerint ſe ſtricte teneri ad integram obſervantiam Conſtitutionis S. Pii V., cujus initium eſt *Supra Gregem*, quam interpoſita juramenti Religione ſpoponderunt pro Medicinæ arte exercenda (6).

IV. Supradictas ſidei profeſſiones fideliter deſcribi jubemus a Can-

(2) *S. Aug. de util. cred. c.* 1.
(3) *Jacob. c.* 2. 26.
(4) *Ad Galat.* 3. 10.
(5) *Ad Rom.* 10. 10.
(6) *Syn. Piazza c.* 1. *n.* 2., *Codr. Syn. Rav.*

Cancellario Nostro in Codice ad hanc rem unice comparato, notando cujuscumque profitentis, & testium nomen, cognomen, patriam, & annum pariter, mensem, diem, & locum. (7)

V. Ad fidei puritatem sartam tectamque in animo fidelium retinendam, illamque recte factorum exercitatione augendam plurimum prodest Sacrarum Scripturarum Lectio, qua veluti firmissimo fidei suæ propugnaculo Christi Martyres olim se ad certamen communiebant. Nos igitur Sacr. Conc. Tridentino obsequentes volumus, ut Canonicus, qui in Nostra Cathedrali Theologalem Præbendam obtinet, suam in hoc ministerio diligentiam desiderari numquam patiatur, & statis Dominicis diebus expositionem Sacri Textus habeat, & audientes erudiat, quoad historiam, fidem, & mores. Omnes interim, & potissimum Sacerdotes, & Clericos enixe hortamur, ut non solum hujusmodi sacræ lectioni sæpe, & frequenter adesse velint, sed Sacrum etiam Codicem persæpe præ manibus habeant, & meditentur, ad hoc ut facile ipsi addiscant, & prompte ceteros doceant Mysteria Divina, & rectam Christiane vivendi disciplinam.

VI. Parochi vero Pueros sedulo in suis Ecclesiis diebus omnibus festis Sacram Catechesim doceant, & in fine clara, & intelligibili voce recitent Actus virtutum Theologalium tum Contritionis, & Attritionis; curentque, ut illi repetant exacte, & juste addiscant. Clericos adjutores in Paræcia commorantes adhibeant, quorum nomina in Codice ad id parato describent; & quotquot desides invenientur, totidem in Libro adnotabuntur, quem Nobis, vel Vic. N. Gen. per mensem ante Ordinationes generales exhibere non graventur, ut ab altioribus Gradibus negligentes arceantur (8).

VII. Adultos autem, quos Parochi rationabiliter dubitant esse omnino ignaros rerum principalium Christianæ Doctrinæ, tertio saltem quoque anno ante Festum Paschæ in Schedulæ traditione de fidei rudimentis interrogent, quos cum ignaros repererint, a Sacra Mensa prohibeant. Qui secus fecerit Nostram arbitrariam pœnam non effugiet. Illos vero, quos vel rudiores cognoverint, vel a Sac. Catechesis auditione propter pravos mores ejecerint, quolibet anno in Quadragesima serio edoceant, nec ad S. Mensam eos accedere permittant, nisi prius sufficienter instructos cognoverint.

VIII. Curatores igitur Animarum, ignarorum, rudium, & vel maxima ignorantia laborantium, curam omnino ne dimittant, sed sci-

(7) *Ibid.*

(8) *Bened. XIV. jussit Cler. Romæ degen. per Decr. Card. Vic. 1. Jul. 1748.*

ſciant inter graves paſtoralis ſuæ vigilantiæ curas hanc præcipuum locum obtinere, ut videlicet omnes ſibi commiſſi fideles, etiam maxima ignorantia laborantes, juxta eorum captum percipiant, & recte cuſtodiant fidei rudimenta. Summa ergo charitate, & paſtorali affectu hujuſmodi homines ad ſe advocent, & alliciant, ne aut neglecti ignorantia torpeant, aut amaro zelo alienati, Doctoris odio, Doctrinam ipſam miſerrime adverſentur. (9)

IX. Pueri etiam ut plurimum chriſtianam inſtructionem refugiunt. Illorum ergo Parochi Catalogum conficiant, eoque utantur, ut a Sac. Catecheſi abſentes notare poſſint. Et ſi quos ſæpius abeſſe deprehenderint, patienti charitate illos alliciant, moneant, territent, hortenturque eos, quorum curæ ſunt crediti, ut ad Eccleſiam adducant. Ubi vero efficaciori remedio opus eſſe ſenſerint, rem ad Nos, vel Vic. N. Gen. deferant (10). Sacerdotes item, & Laicos omnes meminiſſe volumus, ne tám pium opus Chriſtianam Doctrinam imperitos edocendi deſerant, Indulgentias ſe pene innumeras conſequuturi, quarum Catalogum dabimus in Append. num. II.

X. Capellanis autem ruralium Eccleſiarum diſtricte præcipimus, ſub pœna ipſo facto incurrenda ſuſpenſionis a Divinis per menſem, Nobis reſervatam, ut quolibet die Feſto præcepti Sacrum facientes in Oratoriis publicis unum, ex quatuor Actibus, cum in ſequente Doctrinæ Chriſtianæ parte typis impreſſæ, ad hujus Diœceſis uſum, repetente Populo, elata voce recitent. Idipſum præſtent in ſecunda Miſſa, cum in dictis Oratoriis particularibus dici contingat, ſub eadem pœna. Quod ſi plures Miſſæ eadem die ibidem celebrari contigerit, ſi in prima, & ultima id præſtabunt, præcepto huic Noſtro ſatis paruiſſe declaramus. (11)

XI. Mulierum nomina, a quibus ſchola Puellarum inſtituitur, Nobis quotannis Animarum Curatores deferant, deque earum peritia in fidei rudimentis teſtentur. (12)

XII. Magiſtri Pueros, quos erudiunt, Concilii Lateran. mandatis obſequentes, Chriſtianæ Doctrinæ elementis imbuere non prætermittant. Alioqui latas eo loco pænas, ſe ſciant ſubituros (13). Ut autem

(9) *Syn. Piaz. c. 2. n. 3.*
(10) *Syn. Rav. Codr., & Piaz. ut ſup. n. 6. Lambert. Inſt. XLIV. n. 14.*
(11) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruv. c. 3.*
(12) *Syn. Piaz. ut ſup. n 12.*
(13) *Conc. Lat.*

autem in re tanta, etiam methodo simul omnes veluti conspirent, uno, qui *Bellarmini* dicitur Libello eos uti præcipimus. Cœteros vero, Nobis inconsultis, adsciscere interdicimus. (14)

CAPUT II.

De Sacramentis, & de Baptismo.

I. SAcramenta, per quæ vera Justitia incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur (1), & Gratiam continent, & ipsam digne suscipientibus conferunt (2). Non autem omnia Sacramenta primam tribuunt Gratiam, sed Baptismus tantum, & Pœnitentia. Cœtera vero augmentum Gratiæ, & Gratiam ipsam peculiarem, obicem non ponentibus elargiuntur.

II. Ut autem digne ministrentur, & accipiantur, Parochi, eorumque Coadjutores in S. Catechesi explananda ea, quæ requiruntur tam ex parte corporis, quam de animi dispositione rite, & aperte exponere Pueris, Adultisque non prætermittant.

III. Interim per singula Sacramenta breviter discurrentes, aliqua in mentem revocemus, quæ tam Ministrantes, quam suscipientes præ occulis habere debent, eos quibus ex justitia administratio Sacramenti pertinet in Domino cohortantes, ut ad hoc munus obeundum evocati, quocumque tempore prompto, ilarique animo omnibus occurrant.

IV. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S., non potest introire in Regnum Dei* (3), ait Æterna Veritas. Per Baptismum ergo sumus hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Hæc est janua Sacramentorum, & sine præcipuo hoc Sacramento, vel in re, vel in voto, nullam homo sibi justificationem poterit comparare. Debitus igitur honor eidem ab omnibus habeatur, & consuetis Ecclesiæ ritibus omnino, extra necessitatis casum conferatur.

V. Ecclesiæ, quæ Fonte Baptismali decorantur, decenter, & munde omnia custodiant, earum Rectores enixe admonemus, ne ea prætermittant, quæ in Sacra Visitatione a Nobis quoadhæc fuerunt demandata. VI.

---

(14) *Syn. Codr. c. 2. n. 3.*
(1) *Trid. Sess. VII in Proem.*
(2) *Conc. Flor. sub Eug. IV.*
(3) *Joan. 3.*

VI. Codices, in quibus Infantium regeneratorum Nomina deſcrìbuntur, Indice locupletentur per Cognomìna, ſub pœna aurei unius. (4)

VII. Parochos monitos volumus, ne omnes Infantes, quos ab Obſtetrice, vel alio quopiam dòmi baptizatos noverint, iterum etiam ſub conditione abluere audeant. Sed præmittatur diligens inquiſitio, an tempore ablutionis fuerit ſimul prolata Forma, quibus verbis uſi ſint, qui Pueros hujuſmodi regenerarunt, & tunc tantum ſciant poſſe ſub conditione reiterari, cum videlicet dubia revera Formula fuerit adhibita, & cum noverint non caput, ſed aliam quamlibet corporis partem aqua perfuſam fuiſſe, cum inſtante mortis periculo, in ea parte ex utero emiſſa Baptiſmus fuerit collatus (5), quibus in caſibus poſt indubiam facti cognitionem, Rituali romano omnino adhæreant; prudente enim dubio non interveniente, ſacrilega eſt Baptiſmi iteratio, & irregularitatem inducit in Baptizantes. (6)

VIII. Ad hæc avertenda unuſquiſque Parochus in Civitate, & Vicarius for. cum altero ex Parochis ſuæ Congregationis in Diœceſi Obſtetrices accurate interrogent, edoceantque circa Sacramenti collationem, & ritum eis explicando, & formam, quam adhibere tenentur, quoties neceſſitas id ab iiſdem poſtulare videbitur.

IX. Moneant inſuper eas, ut alias Fœminas, & Matrem ipſius Infantis in teſtes ſui miniſterii adhibeant, quæ verba ab eis prolata, & ritus advertant, de quibus teſtificari poſſint, cum id per Parochum ab ipſis exquiretur.

X. Examen hoc nunc infra tres menſes primum conficiatur, & unaquæque mulier, quæ arte obſtetricia fungitur, cum inventa fuerit recte inſtituta, teſtimonium adprobationis a Parochis in Civitate, & a Vicariis for. in Diœceſi gratis muniatur, Nobiſque earum nomina, & fides de experimento ipſarum infra dictum tempus, vel Vic. N. Gen. exhibeantur, ſub pœna aurei unius, quam multam incurret quiſquis hæc quotannis non præſtabit, & quoties noverit novam Obſtetricem adveniſſe in propriam Paræciam, dummodo alterius Parochi, vel Vicarii for. adprobationem non proferat. (7)

XI.

(4) *Syn. Piaz. hoc cap. n. 4.*

(5) *Ben. XIV. de Syn. Dioc. lib. 7. c. 5. n. 7. poſt Rit. rom tit. de Bapt. Puer.*

(6) *Lamb. Inſt. 8. n. 6. & LXXXIV. n. 5. cum Catechiſ. rom. de Bapt. n. 57.*

(7) *Lamb. loc. cit. Syn. Piaz. c. 4. n. 5.*

XI. In præfato examine non tantum de materia forma, & modo eam applicandi in Baptiſmo periculum fiat, ſed etiam de intentione requiſita, nec prætermittantur caſus nonnulli, qui in partu difficiliori contingere ſolent, de quibus in Rituali Romano ſermo eſt. (8) Illæ autem, quæ abſque examine, & licentia præfata munus ſuum obire præſument, ab officio repellentur, & Noſtro arbitrio punientur. (9)

XII. Profana nomina Infantibus catholicis imponi vetamus, ea tantum imponi permittimus, quæ a viris ſanctitatis laude florentibus, geſtata fuere, quorum virtutes cum meminerint, eos digna imitatione proſequantur. Quos in Chriſmatis collatione inveniemus Ethnicorum nomine nuncupari, vel tamquam prophanos præteribimus, vel e veſtigio nomen illis arbitrio Noſtro imponemus. (10)

XIII. Si plures fuerint in eadem familia, vel quia filii Fratrum ſint, vel ejuſdem Patris, qui idem nomen gerant, puta fratris præmortui, tunc ne error in ætate ſuperſtitis, aut alterius ex filiis Fratrum irrepat, aliud nomen adjiciatur, quo unus ab altero diſtingui poſſit.

XIV. Cognationis ſpiritualis effectus, & modum ipſam contrahendi Animarum Curatores Populo accurate explicent, erroreſque circa hæc, ſi qui ſunt depellant. Servetur Lex de non admittendis in Patrinos, & Matrinas Eccleſiaſticos tam ſæculares, quam regulares, & Chriſtianæ Doctrinæ ignaros, ſub unius aurei pœna a Parochis ſubeunda. (11) Doceant Patrem, & Matrem Filios ex ipſis natos non poſſe baptizare; ſed ſi in vera neceſſitate poſitus alter ex ipſis proprium filium baptizet, non privatur jure petendi debitum, cum neceſſitate cogente id agat, (12) & de proprio filio legitimo ſermo ſit. Si enim filium ex illegitimo concubitu ſuſceptum, etiam in neceſſitate poſitus quis regeneret aqua Baptiſmi, hic veram cognationem ſpiritualem cum ea, ex qua filium ſuſcepit, contrahit, ita ut tam de jure communi, (13) quam ex Tridentini pre-

---

(8) *Tit. de Bapt. Puer.*

(9) *Syn. Piaz. loc. cit.*

(10) *S. Car. Inſtr. Bapt.*, *S. Joan. Chriſ. hom. 22. in Ep. ad Chor. 4.*, & *hom. in Gen.*, *Catech. rom. de Bapt.*

(11) *Syn. Piaz. hoc cap.*, & *ab eo rel*

(12) *Fagn. in cap.* Si vir. *de cogn. n. 7.*

(13) *Cap. de cogn. ſpir. in 6.*

præscripto (14) Matrimonium cum illa contrahere non possit, & contractum dirimatur. (15)

CAPUT III.

De Confirmatione.

I. C*Aro abluitur, ut Anima emaculetur: Caro inungitur, ut Anima consecretur* (1). Sacramentum hoc, qui recipere cupiunt, quo milites Christi confirmantur ad pugnam, ad Crucem ferendam, & ad probra propter Deum æquo animo toleranda roborantur, omnia servent, quæ in Instructione, sive Edicto Decessoris Nostri Piazza præscribuntur, ut in hujus Synodi Appendice n. III.

II. Pueri ergo scire debent quid recipiant: qui eos suscipiunt confirmatos esse oportet, decimoquarto saltem ætatis anno majores, Sac. Catechesim edoctos, ejusdem sexus, quo confirmandi, & bona apud bonos existimatione utentes, majores denique natu suscipiendorum. (2) Si quos vero Doctrinam Christianam non callere. Parochi comperient eos ab aliorum susceptione tam in Baptismo, quam in confirmatione prohibeant.

III. Ea, quæ de Cognatione spirituali diximus in Baptismo, etiam in confirmatione oriri doceant Parochi.

IV. Optime Confirmatorum frons vitta alba cingitur, sed hæc in profanis usibus non adhibeatur, & Sacerdotis ministerio dissolvi debet. (3)

V. Non confirmati prima Tonsura initiari, ad Beneficia promoveri, habitum Religionis sumere, & Matrimonium celebrare prohibebuss. (4)

CA-

---

(14) *Sess. 24. cap. 11. de Ref.*
(15) *Fagn. loc. cit. n. 5. 6.*
(1) *Tertul. de Resur. car. c.* VII.
(2) *Conc. prov. v., Pont. rom. apud Lamb. Instit.* VI. *n. 13.*
(3) *Syn. Rav. Cant.*, & *Codr.*
(4) *Trid. sess. 23. c. 4. de Ref.*, *S. Cong. Conc. 27. Sept.* 1621. *Conc. prov.* I., & V.

CAPUT IV.

De Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

I. EUchariſtia eſt Sacramentum ordine quidem tertium, ſed excellentia, & dignitate primum; homines enim non tam Chriſto Domino arctius conjungit, quam Corporis, & Sanguinis ejus participes efficit. Angelorum hic Panis de Cœlo præſtitus, omni præditus ſuavitate, cœleſtem (quantum viatori fas eſt) hominibus prægustandam exhibet Beatitudinem, ſi tamen pura tantum Sacramentum ſumatur conſcientia. Quam magna igitur devotione, & quam intima dilectione & tractandum, & ſuſcipiendum eſt!

II. Dolemus tamen, quod ea, quæ a Deceſſore Noſtro abunde circa cuſtodiam, ſumptionem, & infirmis delationem Venerabilis Sacramenti præſcribuntur non religioſe, & ex integro ſerventur. Præcipitur enim (1), ut linteum mundum, ante tam auguſtum cibum ſumentes ſternatur, caveaturque ne ſudariolum Sacerdotum tergendis manibus in Miſſa paratum, vel mappula quævis profanis uſibus deſtinata adhibeatur, ſed fere ubique Præceptum confringitur. Qui impoſterum talia fecerit pœnam dabit unius aurei. (2)

III. Inſuper in delatione Sacroſanti Chriſti Corporis ad ægrotos, præter lanternas, quatuor ſaltem intorticia ſemper ardeant. Prohibetur uſus *Rochetti*, ut vocant, quod revera ſcandalum videntibus ingerit, ſed juſſa contemnentes Parochi numquam fere Pluviali, & velo humerali utuntur. Nos igitur præcipimus, ut in Civitate præſertim, & in Oppidis, cum circumfertur Sanctiſſimum Sacramentum pro infirmis, ſub majori umbella, quantum fieri poterit, ſemper geſtetur, uſum *Rochetti* omnino interdicentes, pœna unius aurei pro qualibet vice (dummodo pluvia ingruente, vel intempeſtive nocturno tempore id præſtandum non eſſet, & in domibus pauperum, ubi propter loci, vel ſcalæ anguſtiam Pluviale incommodum nimis eſſet): & tunc dumtaxat ſtola, & velo ſuper Superpelliceum uti liceat. Item parvam umbellam nemo ſæcularis geſtare audeat, niſi ſacco veſtitus, ſi nullus adſit Sacerdos, vel Clericus indutus item Superpelliceo. Parochis miniſtrantibus Sanctiſſimum Sacramentum infirmis non eſt licitum de die, neque de nocte uti par-

(1) *Syn. Piaz. hoc cap.*
(2) *Ibid.*

vo pileolo in delatione ejusdem per Civitatem, & Oppida sub prætextu alicujus infirmitatis absque speciali Sanctæ Sedis licentia. (3) Extra vero Civitatem, & Oppida a Nobis, justa interveniente causa, non denegabitur. (4)

IV. Illud etiam summopere desiderandum venit, ut Ægroti sæpe Eucharistico Pane reficiantur, quod ab aliquibus Parochis sedulo fieri novimus. Multorum tamen querelæ ad aures Nostras pervenerunt, eo quod nonnulli infirmi rarissime hoc Sacramentum percipiant. Cautum est fere ubique, ut habitualiter infirmis semel in mense Divinum hoc Convivium celebrare Parochi persuadeant præter solemniores in anno festivitates. Curatores Animarum profecto in Domino etiam atque etiam hortamur, ægros ut persæpe invisant, illosque prævio Pœnitentię Sacramento ad Sacrosancti Christi Corporis sumptionem rite disponant, cujus ope confidimus, ut patientiam in tolerandis infirmitatis angustiis, & doloribus, sibi comparent. In eorum pietate, & solertia Nobis satis perspecta summopere confidimus, ut exultantes pręcellenti operi manus imponant, & sic Nos lętitia afficiant, infirmis levamen pręstent, in Populo ipsorum curę commisso devotionem erga tam pręclarum opus excitent, a Summis Pontificibus innumeris pene Indulgentiis profusa largitate ditatum, quarum publicatio semper facienda erit. In Append. n. IV.

V. Cum Sacrosanctum Christi Corpus ęgrotis defertur nocturno tempore, una sumatur particula, vel duę, si totidem fuerint communicandi, nullo tamen campanarum signo, nisi sonitu campanulę, quę Sanctissimum Sacramentum pręcedere debet.

VI. Si in die Parasceves, necessitate cogente, Sacrum Viaticum deferendum erit, Psalmi submissa voce recitentur: non pulsetur campanula, sed crepitaculum adhibeatur ligneum, & cum Populus ad Ecclesiam redux erit, sine benedictione dimittatur, (6) vel potius una tantum particula sumatur, quod magis expedire videtur.

VII. Stola, qua exponitur, vel ministratur Sacratissimum Christi Corpus, sit ejusdem coloris, quo utitur Ecclesia eo die, juxta Rubricarum pręscriptum. (7) In Defunctorum Missis vero non licere fideles communicare cum particulis pręconsacratis dixit S. Rit. Congregatio. (8) VIII.

(3) *Sac. Cong. Rit.* 1695.
(4) *Syn. Codr.*
(6) *Sac. Rit. Congr.* 1745.
(7) *Rit. rom.*
(8) *S. Rit. Congr.* 1741.

VIII. Publici peccatores ab Eucharistica Mensa arceantur. Hi sunt, qui tales per sententiam Judicis ab omnibus habentur, vel per confessionem propriam in judicio factam, vel per evidentiam facti, quod non potest ulla tergiversatione celari. (9) Occulti autem, si publice petant, non eis est deneganda Sacra Mensa, nondum enim jus ad bonam famam amiserunt, quod & prestitit Jesus Christus cum Juda occulto adhuc peccatore. Repellendi tamen sunt, si occulte petant, & monendi, ne publice petere audeant, nisi pœnitentia condigna scandalum, vel peccatum occultum per ipsos tollatur.

IX. Quorum nomina non inventa sunt inter schedulas in Paschate distributas post ejusdem octavam, Nobis, vel Vic. Nostro Gen. in notula quamprimum Parochi deferre non graventur, nec ulterius protrahant; sic enim facilius ad bonam frugem revocabuntur canonicarum pœnarum publica comminatione. (10)

X. Pueros novimus, & Puellas aliquando etiam in decimo octavo anno constitutos nondum ad Eucharisticam Mensam accessisse, eo quod res scitu necessarias adhuc ignorarent. Si Parentum, & Parochorum incuria id fieri contigerit, sciant districtam Dei ultionem illis imminere. Quapropter eos obtestamur in Domino, ut si quos invenerint tardioris ingenii, tamdiu eos paterna charitate preceptis imbuere satagant, quamdiu, qui possint Angelorum Panem sumere, idonei fiant. Imposterum autem nomina eorum, qui decimumquintum annum excesserint, & nondum ad Sacrum Convivium ea de causa fuerint adhibiti, Nobis deferantur.

XI. Si qui pueri tamen ad Sacram Mensam etatis vitio nondum admissi in summum vite suæ periculum, & discrimen vocentur, minime quidem tam facile, & indiscriminatim cœlesti hoc Pabulo prohibeantur, sed eos refici jubemus, quoties Parochus, examine præmisso, deprehendere poterit, illos eam hujusmodi Sacramenti cognitionem habere, ut & ibi latentem Christum Dominum firmiter credant, & cœlesti Pane refici vehementer exoptare videantur. (11)

XII. Pari modo Parochi ne renuant ægrotos iterum, & tertio quoque Sacro reficere Viatico, cum naturale jejunium servare nequeant, etiam perseverante eodem morbi periculo; eo vel magis, si dum sanus esset egrotus, frequenter consueverat Eucharistiam sumere,

(9) *Ben. XIV. de Syn. Diœc. lib. 7. cap. 11. n. 7.*
(10) *Conc. prov. Rav. Card. a Ruv.*
(11) *Ben. XIV. de Syn. Diœc. l. 7. c. 12., Syn. Rav. Codr.*

mere, atque in mortis periculo petit iterum Sacro hoc Pane refici. Sciant ergo in præsentia Animarum Curatores Nobis integrum esse animadvertere contra illos, qui infirmos tali auxilio fraudare præsumpserint (12).

XIII. Si privatæ expositiones faciendæ sint, Sacrosancta Eucharistia a Tabernaculo numquam extrahatur, sed in Pixide velatâ in aperto ejusdem Tabernaculi ostiolo, aliquo Sacerdote præsente, stola, & superpelliceo induto, & sex saltem cereis luminibus accensis collocetur (13). Si autem cum ostensorio facienda est expositio, item & pro aliqua publica causa, a Nobis tamen adprobanda, sub throno collocetur, cum duodecim saltem luminaribus cereis, & Sacerdotis præsentia. Nobis autem inconsultis, hujusmodi expositiones fieri interdicimus, etiam in Ecclesiis Regularium, nisi ostensorio velo cooperto (14).

XIV. Solemniores expositiones Sanctissimæ Eucharistiæ, quoad fieri potest ad Aram principem fiant. Imagines, vel Statuæ Sanctorum ea occasione cooperiantur: Sanctorum Reliquiæ ab Altari removeantur: duodecim saltem luminaria adhibeantur, & continuo ardeant: eleemosynarum collectio expositionis tempore in Ecclesia numquam permittatur: & pauperes extra ejusdem fores consistere jubeantur. Campanula in Missarum elevatione non pulsetur: Concio non habeatur, aut si breviter ex pia consuetudine id fieri contingat, locus is sit, aut ita paretur, ne audientes Fideles minus reverenter erga Sanctissimum Sacramentum necessitate se gerere cogantur, & velo ante ipsum posito, concionis tempore cooperiatur.

XV. Accedentes, & recedentes e conspectu Sanctissimi Sacramenti ambobus genibus genuflectant. Sacerdos celebraturus, cum ante Sanctissimum Christi Corpus publicæ venerationi expositum transit, similiter utroque genu, aperto capite, genuflectat, inde se cooperiat, & recta via ad Altare pergat. Cum ad Altare, in quo Sacra Hostia exposita veneratur, celebrandum erit, Sacerdos ad *Lavabo* extra Altare, versa facie ad populum, manus lavet. Demum psallentes in Choro, tempore expositionis, Canonici, & alii stent, aut etiam permittimus, ut sedeant aperto capite. (15) Hæc omnia præcipimus servanda, sub pœnis arbitrio nostro, & pro modo culpæ, transgressoribus infligendis.

XVI.

(12) *Ben. XIV. loc. cit. n. 5.*

(13) *S. C. Ep., & Reg. 1603. relat. a Lamb. Instit. 30. n. 16.*

(14) *Lamb. loc. cit. n. 23.*

(15) *Lamb. loc. cit. n. 17., & S. R. Congr. ab eo rel.*

XVI. Ante Altare, in quo semper Parochi in Tabernaculo clausum custodire debent Sanctissimum Christi Corpus, continuo accensa lampas olivarum oleo instructa diu, noctuque ardeat, & Tabernaculi duplex clavis sub alia clave custodiatur. (16) Eucharisticus hic Panis jugiter servari solet in Parochialibus, in Collegiatis, nec non in Regularium, & Monialium Ecclesiis. In aliis vero Ecclesiis minoribus, & multo minus in privatis, sive publicis Oratoriis, nemo hoc sibi arrogare præsumat, nisi peculiari Sanctæ Sedis Indulto gaudeat. (17)

XVII. Religiosum hujus Urbis morem, quo in aliquibus Ecclesiis, statutis per hebdomadam diebus publicæ fidelium adorationi Venerabile Sacramentum exponitur, non modo adprobamus, sed & custodiri omnino mandamus. Ac propterea exoptamus, ut sicut in Nostra Cathedrali peragitur, sic & in cœteris Parochialibus, præsertim ruralibus, in quibus laudabilis, & sancta consuetudo benedicendi Populo cum Sanctissimo Christi Corpore qualibet Dominica non viget, statim introducatur, ne fideles sua devotione fraudentur, & occasionem arripiant insimulandi proprios Parochos negligentiæ, aut avaritiæ, qua privantur inenarrabilibus fructibus ex eucharistica benedictione manantibus.

XVIII. In agendis supplicationibus Sacrosancti Corporis Christi in Ecclesiis ruralibus, ut imposterum contentiones omnes, quæ circa præcedentiam oriri possunt, de medio tollamus, sequentem methodum servari mandamus. In die Solemnis Festivitatis Corporis Christi agatur supplicatio in Ecclesia Matrice cum interventu omnium Parochorum, Sacerdotum, & Clericorum ejusdem Congregationis. Deinde in reliquis Ecclesiis per turnum subsequentibus Dominicis, & festis diebus instituantur similes supplicationes, ad quas celebrandas convenire pariter jubemus una cum Archipresbytero, seu Plebano, ceteros Parochos, Sacerdotes, & Clericos non legitime impeditos, servato antiquitatis ordine, vel potius facta inter eos stabili consuetudine. In illis vero Congregationibus, in quibus Archipresbyteri titulares habentur, hi præferantur ceteris, ita ut eamdem agant supplicationem in Dominica infra octavam memoratæ Festivitatis. Hic ergo ordo servetur in omnibus Nostræ Diœcesis Ecclesiis, nisi adsit aliqua in contrarium particularis consuetudo, quam tamen nullam imposterum vim habere volumus, nisi eidem nova accedat adprobatio Nostra. Parochi autem eo, quo decet catholi-

(16) *Syn. Piaz. c. 6 n. 11.*
(17) *Syn. Rav. Codr. part. 2. cap. 4. n. 8.*

tholico zelo fideles ſibi commiſſos moneant, ut chriſtiana pietate, devotione, & reverentia ſe gerant in tam ſacro opere exercendo, ut recto corde, & exteriori corporis compoſitione orantes, Deum ſibi propitium reddant. (18)

XIX. Cum expoſitionis reſcriptum exarabitur, id in eo præſcribetur, ut preces, quæ recitantur, Deum ipſum reſpiciant; quod ſi Sanctos, ut in Novenis, & Triduis mos eſt, Sacra Hoſtia non exponatur, niſi poſt preces ipſas abſolutas, alias præfata facultate privabuntur, & arbitrio Noſtro punientur. (19)

CAPUT V.

De Sacrificio Miſſæ.

I. CHriſtus Dominus pridie quam pateretur, de hoc mundo ad Patrem, unde venerat, iturus, finem impoſuit Sacrificiis Legalibus, & ſe ipſum offerens ſemel in Ara Crucis, pro totius mundi peccatis, nobis in ſuæ dilectionis pignus ſe ipſum reliquit, mandans Apoſtolis, ut quod ipſe fecit, & ipſi in ſui commemorationem facerent. (1)

II. Sacerdotes igitur ſacrificaturi non ſordidis veſtibus moleſtiam, nec nimio corporis cultu ſcandalum adſtantibus ingerant. Sacriſtæ, cum tales ſe illis obtulerint, ne ſinant eos ad Aram ingredi, Secus Noſtrum erit eorum ſocordiam excitare. Si quis eos irreverenter non audierit, rem ad Nos deferant eficaciori modo proviſuros.

III. Meminerint optamus Sacerdotes omnium, quæ ad rem liturgicam ſpectant in tam auguſto Myſterio tractando, ne quid in præſcriptas Leges peccent. Nemo feſtinanter Sacrificium hoc celebret; Sacræ enim precationes devote, & diſtincte a Sacris Miniſtris recitatæ, non faſtidium, ſed pias affectiones in cordibus non tam audientium, quam eorumdem recitantium excitant. Maxime vero decet, ut ſacrificaturi, cum ad ſacrarium convenerint, in aptum locum recedant, ut orationi, vel ſaltem ut conſuetis precibus vacent, animumque ſuum ad Deum extollant, antequam ad Altare

(18) *Rit. rom. tit. de Proc.*
(19) *Syn. Piaz. hoc cap. n. 11.*
(1) *Lucæ 22.*

re accedant; ficuti depofitis facris veftibus debent folitis orationibus pro tanto beneficio debitas agere gratias. Valde enim indecorum effet, nulla præcedente devota preparatione, & fubfequente gratiarum actione omiffa, vel precibus hujufmodi præcipitanter recitatis, tam venerabile opus pertractare, ab Ecclefia deinde difcedere, & ad fæcularia negocia ftatim fe convertere, fummique Numinis in proprio pectore realem præfentiam contemnere.

IV. Miffæ ftipem majorem decem obulorum exigere prohibemus. Eleemofyna enim non eft præmium confecrationis, nec datur ad integram Presbyteri fuftentationem, fed ad illius adminiculum (2). Ubi vero confuetudo viget pinguioris eleemofynæ, eam non improbamus. In Diœcefi namque, ratione longioris itineris, & juftis aliis de caufis ampliori folent Presbyteri eleemofyna donari. Illud tamen non tolerabimus, fi Sacerdos turpi admodum aviditate, & lucro ductus, huc, vel illuc difcurrat, ubi pinguius datur ftipendium. Si quis hæc fecerit, Noftram coercitionem non effugiet. Ad hoc avertendum in Officiis tam generalibus, quam particularibus, fi eodem die duo in diverfis Ecclefiis fuerint indicta, prohibemus eleemofynam augeri a neutro ex his, fed indicimus ftandum effe eleemofynæ illius, a quo prius officium expofitum fuit. Qui fecus egerit, pœnam unius aurei, & infuper arbitrio Noftro punietur, juxta cafuum qualitatem.

V. Pia Legata, & Defunctorum voluntates adamuffim adimpleantur, tam circa tempus præfinitum, quam Ecclefiam, & Aras, quibus fuerunt onera demandata. Capellanus igitur, vel Rector Beneficii, alibi quam in præfcripto loco celebrans, fecundum aliquos, lethaliter peccat. (3) Voluntas enim teftatoris, ne ab Epifcopo quidem poteft mutari. In cafu autem neceffitatis, vel rationabili ex caufa poteft Ordinarius, provifionaliter tantum, Miffas in aliam Ecclefiam, aliudve Altare transferre. Si quis ergo hanc Legem infringere audeat, & Miffas omnes reiterabit, quas alibi, vel alia contra inftitutoris mentem celebraverit die, & infuper gravi arbitraria pœna punietur. Invaluit enim apud aliquos non bene moratos forfan, vel affectata ignorantia laborantes, falfa hæc, & erronea opinio, quam eradicare fummopere præftat. In grave enim difpendium vertitur Animarum, & in Canonicarum Legum contemptum. Illos igitur, quos impofterum in hoc delinquentes inveniemus, acriter emen-

(2) *S. Thom. de Sacr. Euchar. av. 5.*
(3) *Monac. Tom. 2. tit. 12. n. 58.*

mendatos dimittemus. Nos non latet eos præsentia tantum oneri sibi imposito satisfecisse arbitrari, quamvis pro alio sacrificium offeratur, quam pro Beneficio, quo sunt provisi. Verum noverint volumus, minime illis hoc proficere commentum, nam Defuncti, vel Testatoris voluntas etiam tunc manifeste defraudatur. Idcirco Ecclesiarum Rectoribus, & Præfectis indicimus, ut quos noverint hæc imprudenter admittere, post monitionem inutiliter iis factam, Nobis, vel Vic. N. Gen. deferant sub pœna unius aurei, Ecclesiæ, in qua Beneficium contigerit fraudari, applicandi.

VI. Ad fraudem hanc detengendam multum proderit, si in quolibet Sacrario, præter Tabellam, perpetua illius Ecclesiæ onera exhibentem, & conspicuo loco appensam, bini existant Libri vulgo *Vacchette*, in quorum altero Missarum onera perpetua, & in altero Missæ adventitiæ, cum suis eleemosinis fideliter notentur. Bene igitur advertant Sacrariorum Præfecti, ne sinant diem ullum effluere, quin eisdem Codicibus diligenter scrutatis, lineam super ipsam diem ducant, in qua neminem sacrificasse constabit. (4)

VII. Nec præsidium sibi quis quærat ex imminutis Beneficiorum redditibus, ex quo fit, ut stipes oneribus non respondeat. Hi enim a S. Sede tantum reductionis beneficium obtinere poterint. Sciendum tamen huic locum esse non posse, cum Fundus *demonstrative*, non *taxative* adsignatus fuit, quod dignosci poterit ex Testatoris loquutione. Si enim incepit a Fundi designatione, ex cujus redditibus tot Missæ celebrandæ veniant, tunc Fundo imminuto, hæres non tenebitur supplere de proprio, *taxativa* enim fuit fundi descriptio. Si vero orationem suam Testator a Missarum quantitate designata exorsus fuerit, tunc hic numerus inviolabiliter servandus erit, quia *demonstrative* Fundus taxatus fuit (5).

VIII. Pari modo cum Testator voluit per hæredem Legatario Fundum tradi, ex quo Missæ præscriptæ celebrandæ sunt, perempto fundo nihil venit ab Hærede præstandum, & Missæ auctoritate Apostolica contrahi possunt. Si autem Hæres auctoritate propria fundum Legatario tradit, & idem tractu temporis ad onerum satisfactionem non sufficiat, vel quia imminutus est, vel quia eleemosynæ manualis taxa fuit adaucta, spectat ad Hæredem supplere de proprio (6). Item Missæ, quæ Beneficiis adhærent ex fundatione, &

---

(4) *Notif. in Appen. n.* v.

(5) *Theor. Felin. in Can.* Super litteris *de Rescrip. rel. a Ben.* XIV. *de Syn. Diœc. lib.* 13. *n.* 32.

(6) *Bened.* XIV. *ibid. n.* 33.

& quæ per contractum ab Ecclesia, vel Capella acceptatæ fuere, contrahi non solent.

IX. Super Missas manuales cadere non potest reductio, sed compositio obtineri debet, cum annualis celebratio neglecta fuerit. Qui vero dolose ab onere implendo abstinebit sub spe compositionis, tamquam indignus repellitur, & prava intentione contecta nulla redditur gratia (7).

X. Nos imposterum Missas perpetuas quotidianas a nemine recipi sinemus, nisi earum dos, a Conc. Rom. taxata, fuerit in promptu, quam 60. Scutorum annui redditus esse voluit (8).

XI. Sacerdotibus, ait Rubrica Missal. Rom. §. 4. n. 3. conceditur, ut pro eorum arbitrio, diebus non impeditis a duplici, vel Dominica, in Missis privatis dicere possint tum Missas votivas, quæ in fine Missalis assignantur singulis diebus, tum omnes alias votivas. Additur tamen hoc monitum: *Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa, & quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat*. Item pro Defunctis sic ait: *Missæ privatæ pro Defunctis quocumque die dici possunt, præter quam in Festis duplicibus, & Dominicis*. Nos autem, salva hujusmodi concessione, & monitione, Sacristis mandamus, ut etiam in diebus non impeditis exponant paramenta coloris officio convenientis; alterius vero coloris pro quacumque Missa votiva, volumus, ut Sacristæ petentibus non denegent. Cupimus enim, ut Sacerdotes privatæ suæ devotioni possint etiam in hac re pro libito satisfacere.

XII. In Sacristiis Laici, & eo vel minus Sacerdotes non tam otiose immorentur: non in illis audiantur strepentes, & vani sermones: non scurrilitates: non murmurationes resonent. Absint compotationes, & quælibet refectiones, sub pœna quatuor Juliorum solvendorum ab hujusmodi delinquentibus, etiam Ædituis, & Sacristiæ Præfectis (9).

XIII. Sacristæ, & Æditui ne ad Missam celebrandam admittant Sacerdotes, nisi veste talari de proprio sint induti. Neque vero umquam audeant illis eam commodare, nisi Advenæ sint, juxta Edictum quod in Append. damus (10). Pœnam vero unius aurei in illos Æditituos statuimus, a quibus Sacerdotes vestibus sæcularibus propriis ad celebrandum admittentur, quam Sacristiæ ejusdem

(7) *Ben. XIV. ut supra*
(8) *Conc. rom. tit. 15. c. 8.*
(9) *Cærem. Ep. lib. 1. cap. 4., Conc. 4. Mediol.*
(10) *Num. V.*

Ecclesiæ nunc perpetuo addicimus. Præsbyteros vero contra hanc Legem peccantes, vel si tantum caligis alterius coloris, aut ocreis etiam nigris ex corio confectis usi fuerint in Sacro faciendo, vel cum veste itidem alieni coloris ad Aram ire præsumpserint, vel absque veste talari, per quindecim dies a Divinis suspensos ipso facto declaramus, itaut nisi a Nobis possint absolvi. Forenses autem, & Advenæ iis Legibus minime ligentur, nisi post triduum, cum ab Æditúis, vel a Sacristiæ Præfectis, de hujusmodi Lege moniti fuerint. Capellas rurales habentes non sinant Sacerdotes celebraturos ad eas accedere absque veste talari.

XIV. Exteros, & ignotos Sacerdotes sive sæculares, sive regulares Missam celebrare in suis Ecclesiis non permittant earumdem Rectores, nisi dimissoriales litteras exhibeant a suis Ordinariis, vel Superioribus obtentas, & a Nobis, vel Vic. N. Gen. recognitas, & adprobatas. Contrafacientes gravibus pœnis arbitratu Nostro puniemus, & si Regulares sint, qui hujusmodi Sacerdotes ignotos ad celebrandum in suis Ecclesiis admiserint, suspensione a Divinis multabuntur, quam ipso facto incurrant (11).

XV. Sacerdotes, qui diebus ferialibus eleemosynam continue in una Ecclesia recipiunt, si diebus festis eam deserant, pingniorem stipem quæritantes, a Rectoribus Ecclesiarum quotidiano stipendio non donentur, nisi etiam in Festo, ipsarum servitio se mancipare promiserint.

CAPUT VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I. CUM Pœnitentiæ Sacramentum a Christo Domino fuerit institutum tamquam præsentissimum remedium hominibus, qui postquam per Baptismum regenerati fuerunt, a mundi illecebris, & sensuum cupiditatibus illecti, iterum in peccati, & dæmonis servitutem se tradiderunt, ad illud reverenter accedere debent Fideles, ne dum ad amissam Divinam Gratiam recuperandam, sed etiam ad illam eo magis augendam sincera peccatorum suorum contritione, juxta illud Prophetę: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquita-*

(11) *Syn. Piaz. cap. 7. n. 2. Syn. Rav. Codr. p. 2. c. 5. n. 10., & ab iisd. cit.*

quitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas (1). Hoc igitur Sacramentum, quo Peccatores Deo reconciliantur, & justitia amissa reparatur, Fœminis certe in Ecclesiis semper ministretur: Fœminis, & Hominibus in privatis domibus numquam extra casum necessitatis, vel non interveniente aliqua rationabili causa a Nobis adprobanda, quod a Regularibus etiam prętandum esse cupimus (2).

II. Omnes ad se confugientes pœnitentes comiter, & blande accipiant Confessarii, & munus eorum non odiosum ex asperitate, sed facile ex charitate efficiant. Non durum judicium, sed cum misericordia agant, ejus enim locum tenent, qui est Pater misericordiarum, qui peccatores vocare venit, & vult eos salvos fieri. Ne vero in aliud incidant malum numquam satis deplorandum, caveant a nimia absolvendi facilitate, tunc enim alienis onerati culpis, Sacramentum irritum efficiunt, & Animarum perditioni, non saluti prospiciunt, seque æternę damnationis pœnæ obnoxios reddunt. (3)

III. Pœnitentiæ Sacramentum in Ecclesiis ministraturi, semper ea qua decet & cordis munditia, & corporis habitu Sacerdotes se gerant; Superpelliceo, & Stola violacei coloris induti, præsertim in diebus Festis, vel affluente Populo. Indecorum enim est Sancta Mysteria absque vestibus ad ea ministranda præscriptis pertractare. Si quis vero per summam socordiam etiam sine veste talari in sede confessionali ad fidelium confessiones audiendas, se proferre audebit, gravi pœna pro libito Nostro punietur. (4)

IV. Ne autem Homines, quorum charitas frigescit a Sacramento Pœnitentiæ retrahantur, gravibus satisfactionibus perterriti, audiatur S. Thomas, qui de hac re differens, sic loquitur: *Videtur satis conveniens, quod Sacerdos non oneret Pœnitentem gravi pondere satisfactionis.... Unde melius est, quod Sacerdos Pœnitenti indicet, quanta pœnitentia esset sibi pro peccatis injungenda, & injungat sibi nihilominus aliquid, quod Pœnitens tolerabiliter ferat...., & hæc, quæ propter injunctionem expressam facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ ex alia generali injunctione, qua Sacerdos dicit:* Quidquid bonifeceris &c. (5).

C 2 V. Con-

(1) *Ezech. XVIII. 30. Joel. II. 13.*

(2) *Monac. Tom. 1. Form. 1. Tit. 9. n. 17. Rit. rom. de Sacr. Pœn.*, *Conc. prov. 5. Mediol.*

(3) *Ben. XIV. de Syn. Diœc. lib. 11. c. 6.*

(4) *Rit. rom. de Sacr. in gen.*

(5) *S. Thom. quodlib. 3. quæst 13. art. 1.*

V. Confessarii a denuntiationibus eorum se abstineant, quorum facinora sibi in sacramentali tantum Confessione fuerunt aperta.

VI. Cum ad alienarum rerum restitutionem Pœnitentes adigunt illos doceant, non aliis quam illis, quibus res ablatæ fuerunt, restitui debere, ut qui damnum passi fuere, & emolumentum ex earum vindicatione accipiant. Pauperibus enim non debetur alienum, nisi cum diligentiis omnibus adhibitis, verus Dominus ignoratur. (6)

VII. Si casus emerserit alicujus impedimenti occulti inter sponsos, vel si pœnitenti opus sit S. Pœnitentiariæ Tribunal adire pro voti simplicis commutatione, absolutione a Censuris, dispensatione, vel reabilitatione, aliisque de causis, Confessarii casum a casu distinguant, nihilque eorum prætermittant, quorum cognitio tam in scribendo, quam in exequendo ejusdem S. Pœnitentiariæ Litteras apprime necessaria deprehenditur. Pro majori ipsorum commoditate Monitum in Appendice dabimus n. VI., cujus ope rem facili methodo præstare poterunt.

VIII. Demum Confessarios omnes in Domino cohortamur, ut semel probati, ne sibi ipsis ita confidant, ut nullo amplius studio sustulti, ad ignorantiam iterum redeant; quorum enim suspecta Nobis erit hujus Sacramenti ministratio, eos absolvendi facultate privabimus; & si dubium supervenientis imperitiæ emerserit, eo quod a Divinarum rerum studio abhorreant, sciant Nos eorum scientiæ non semel periculum esse facturos. (7)

IX. Illud præcipue ipsis curæ sit, ut ubi agitur de Restitutionibus tam bonorum, quam famæ, ne sibi, & Pœnitentibus laqueum injiciant, illas præcipiendo, cum casus id non exigat, vel ab eis Pœnitentes liberos declarando, cum revera ablata, vel damna illata reponere teneantur. Item veram impotentiam ab affectata distinguant, diversas contractuum ambages serio perpendant, ut rectum judicium circa illos proferre possint. Ubi autem dubia non potest Confessarius subito diluere, Pœnitentes redire cogat post aliquot dies, & cum rite quoad alia dispositos invenerit, Confessarioque obedientiam promiserint, illos absolutos dimittere poterit. Sciant igitur in hujusmodi Sacramenti ministerio scientia, & prudentia eos præditos esse oportere, ne dum alienis malis occurrere tenentur, & ipsi alie-

nis

(6) *Felix Pot. n. 2715.*

(7) *Ben. XIV. de Syn. Diœc. lib. 13. c. 9. n. 23.*

nis culpis graventur. Videantur in Appen. Constit. Summor. Pontif., Instruct., & Decreta. (8)

CAPUT VII.

De graviorum criminum Reservatione.

I. AD Christiani Populi disciplinam magnopere pertinet, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus, & præcipue ab Episcopis in sua qualibet Diœcesi absolvantur (1). Idcirco Nos Majorum Nostrorum vestigiis inhærentes, infrascriptos casus ad ædificationem tamen, non ad destructionem Nobis reservandos esse duximus.

1. Blasphemia hæreticalis per tres vices prolata, & alia quæcumque consuetudinaria contra Deum, Beatam Virginem, & Sanctos.

2. Incestus in primo, & secundo gradu consanguinitatis, & in primo affinitatis, tum ex copula licita, tum ex illicita. Item copula cum Pœnitente, sive cum cognata spirituali, sive cum Parochiana.

3. Bestialitas.

4. Sodomia consummata, etiam cum Fœmina tam active, quam passive.

5. Copula inter sponsos de futuro, & consensus, vel permissio ad ipsam parentum, aut eorum, sub quorum cura sponsa manet.

6. Lenocinium in uxorem, Filiam, Sororem, vel aliam honestam Fœminam sub cura Lenocinantis viventem.

7. Homicidium voluntarium, & Abortus Fœtus animati studiose procuratus, etiam quoad cooperantes, mandates, & consulentes, licet effectus non sequatur. Infantium suffocatio, eorumque detentio in lecto, absque repagulo, si annum non expleverint.

8. Obscena cum Monialibus, aliisque claustralibus facto, verbo, litteris, vel per internuncium habentes, vel tractantes.

9. Libellos famosos, aut quid aliud turpe ad infamiam Proximi per se, vel per alios, conficientes, mandantes, scribentes, dictantes, & publicantes. Scribentes vel per se, vel per alios mentito, vel suppresso nomine epistolas, memorialia, & similia ad Superiores in totum, vel in partem falsum continentia.

10.

(8) *In Appen. n. VII.*
(1) *Trid. Sess. 14. c. 7.*

10. Perjurium in judicio, ac ad illud suasionibus, minis, vel promissis directe, vel indirecte allicientes; & consilium, vel impedimentum præstitum, ne testimonium feratur.

11. Percussio Parentum, Patris videlicet, vel Matris.

12. Quicumque Processus, Scripturas, & Documenta existentia in Cancellaria, vel Tabulario Nostro Episcopali subtraxerit, combusserit, suppresserit, dolose retinuerit, aut similia fieri mandaverit, vel auxilium, consilium, & favorem præstiterit.

13. Notarii non denunciantes Nobis infra mensem in Civitate, & duos in Diœcesi pias Testatorum voluntates, ad quas ipsi in publicas Tabulas referendas fuerunt adhibiti.

II. Quilibet ergo Sacerdos sive sæcularis, sive regularis, qui facultatem audiendi Confessiones in Diœcesi Nostra obtinuit, numquam nisi in mortis articulo a recensitis criminibus absolvere poterit. Hoc tantum illi fas erit, quando specialis Nostra concessio accesserit.

III. Quamvis Sacerdotes aliqui Apostolico gaudeant Privilegio absolvendi a casibus ipsi Sedi Apostolicæ reservatis, non tamen ejusdem Privilegii vigore a casibus Nobis reservatis absolvere præsumant. (2)

IV. Parochis tamen omnibus, non autem illorum coadjutoribus, potestatem facimus a prædictis casibus absolvendi, dempto tamen 12. casu, Dominica prima Adventus, usque ad totum diem Epiphaniæ, & a tota Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusive. Parochis pariter iisdem facultatem impertimur, ut eos, qui infantes anno minores in eodem lecto sine repagulo, aut alia sufficienti cautione secum ipsi detinuerint, absolutionis beneficio donare quovis anni tempore possint, & valeant.

V. Advertant Confessarii Blasphemiam hæreticalem Nobis reservatam esse illam, quæ profertur tum absque errore intellectus contra fidem, tum sine electione, & pertinacia voluntatis in eodem errore; quæ tamen Blasphemia in *verbis materialibus* a blasphemante prolatis continet errorem contra fidem. Error hujusmodi, si nedum in intellectu locum inveniat, sed etiam a voluntate recipiatur, ac pertinaciter retineatur, tunc Blasphemia de hæreticali evadit hæretica, & Blasphemans jam est hæreticus formalis a Summo Pontifice absolvendus. Adver-

(2) *Clem. X. Const.* Superna *apud Ben. XIV. de Syn. Diœc. Lib. 5. c. 5. n. 6. 6.*

Advertant præterea *tres illas vices*, ad reservationem incurrendam, debere esse ita separatas inter se, ut non eodem impetu, seu actu morali Blasphemia prolata sit.

VI. Abortus Fœtus animati, effectu sequuto, fuit omissus, jam enim Nobis reservatur ex Bulla Gregorii Pp. XIV., & pro casu hujusmodi peculiaris Nostra facultas requiritur, nam generalis Reservatorum concessio non sufficit.

VII. In delictis carnis, ut supra reservatis, Puellas ante duodecimum, & Pueros ante decimum quartum annum expletum comprehendere non intendimus.

VIII. Parochi, qua die Matrimonio adstiterint tantummodo Sponsos, si forte copula inter eos fuerit, absolvere possint.

IX. Quoties potestas sit absolvendi a copula cum conjunctis, permittitur, ubi opus fuerit, quod Confessarii conjuges ad jus petendi debitum redintegrare possint, de quo tamen iidem monendi erunt. Pro casus distinctione, & peculiari formula in absolutione adhibenda videatur Instructio citata num. VII. cap. VI.

X. Monitos demum volumus simplices Confessarios, ne alienæ Diœcesis subditos *cum fraude* huc convenientes, ut ab ibi reservatis relaxentur, absolvant. Sacra enim Congregatio Concilii die 16. Sept. 1649. declaravit: *Absolutionem Pœnitentibus indultam, qui* fraudulenter, *& sub eo fine in aliam Diœcesim se transtulerunt, non sustineri*. Quam declarationem confirmavit, & roboravit Clemens X. in sua Constit. 1670. (3).

CAPUT VIII.

De Extrema Unctione.

I. SAcram extremam Unctionem, qua extremo morbo laborantes infirmi inunguntur Oleo ab Episcopo benedicto Conc. Trid. (1) definivit verum, & proprium esse novæ Legis Sacramentum a Christo institutum ad abstergendas peccatorum reliquias, ad leniendam ipsius infirmitatis molestiam, & ad corporis etiam incolumitatem, si saluti Animæ profutura sit, recuperandam.

II. Parochi ergo tantum Sacramentum veste talari ministrent Super-

(3) *Ben. XIV. loco supra cit.*

(1) *Sess. 14. c. 1.*

Superpelliceo, ac Stola violacea amicti, & accurate servatis ritibus, & precibus a Rituali Romano præscriptis. Magno etiam studio iidem curent, ne sua culpa aliquis ex sibi concreditis Fidelibus hujus sacræ unctionis ope, & beneficio fraudetur. Diligenter insuper caveant, ne spirituale hoc præsidium in id tempus differant conferre, quo ægroti infirma prorsus mente, & sensibus omnino perturbatis, Animam jam agere incipiant. Tunc igitur, quantum fieri potest, eamdem peragant actionem, cum ægroti adhuc rationis compotes vim, & utilitatem hujus Sacramenti advertere valent, ad hoc ut tunc religiosæ suæ voluntatis actus dirigant, ad Divinam opem, & Gratiam sibi comparandam, & ad uberiores pro Animarum suarum salute fructus percipiendos (2).

III. Pueris etiam graviter infirmis, dummodo ad rationis usum pervenerint, & prudentum judicio putentur aliquo modo ad culpam accedere potuisse, confessione præmissa, hoc Sacramentum ministrent, licet adhuc Sacræ Mensæ participes non sint effecti (3).

IV. Solus proprius Sacerdos est Minister ordinarius hujus Sacramenti. Quamvis enim quilibet Sacerdos valide quidem Extremam Unctionem conferre possit, a Parochis tamen solis ex officio ministratur. Omnibus ergo extra necessitatis casum id prohibemus. Si quis autem absque ejusdem Parochi delegatione, aut venia id agere præsumpserit, si sæcularis fuerit, graviter pro libito Nostro punietur. Si vero Regularis, præter gravis culpæ reatum, excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam ipso facto incurret. (4) Nisi forte hoc Sacramentum Laicis intra suorum Monasteriorum septa degentibus, sibique actu vere inservientibus contulerint. (5)

V. Hoc infirmorum Oleum in argenteum, vel saltem stamneum mundum Vasculum, peculiari inscriptione notatum, & thecæ ligneæ immissum, & in serico sacculo involutum, in Loculo panno violaceo circum ornato ad cornu Evangelii Aræ majoris ad eum unice finem parato, & apposita inscriptione *Oleum Sanctum*, reverenter, & honorifice asservetur, & tute occludatur clavi, quam apud Parochum perpetuo debet servari. (6)

VI. Reliqua pariter Olea, Chrismatis scilicet, & Catechumenorum

(2) *Syn. Rav. Codr. de Extr. unct. n. 2.*
(3) *Syn. Piaz. c. X. n. 3.*
(4) *Syn. Rav. Codr. dict. cap. n. 15., Syn. Piaz. loco cit.*
(5) *S. C. Conc. 1587., & 1738.*
(6) *Syn. Piaz. hoc cap.*

norum in Baptiſmalibus Eccleſiis intra argentea, vel ſtamnea vaſa detineri debent, quorum alterum ab altero ſecernatur, litteras habeat Olei qualitatem indicantes, eademque vaſcula intra Baptiſterium diſtinɫte cuſtodiantur. (7)

VII. Omnia ſupradiɫta Olea tam Infirmorum, quam Chriſmatis, & Catechumenorum ſingulis quibuſque annis renovari debent omnino. Ideoque ſingula vaſcula ſive argentea, ſive ſtamnea diligenter mundentur, & combuſtis veteribus Oleis omnibus cum eorumdem Goſſipiis, & in Sacrarium projeɫtis cineribus, nova in eis Olea immitti debent, quæ recenter a Nobis Feria V. in Cœna Domini ſolemni benediɫtione conſecrata fuerint (8) quæque accipienda ſemper erunt, numquam extra Diœceſim, ſed ab Æditúo Noſtræ Cathedralis. Illi vero, vel alteri, cui id commiſſum fuerit, mandamus, ne diɫta Olea cuiquam diſtribuat, niſi Sacerdoti, vel ſaltem clerico, alias pœna aureorum trium multabitur. (9) Eadem pœna punietur, qui in aliena Diœceſi Olea ſupradiɫta recipere præſumpſerit.

CAPUT IX.

De Sacramento Ordinis.

I. SAcerdotis eſt ſcire Legem, & ad interrogationem reſpondere de Lege (1) ne illud Prophetæ impleatur: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* (2) Qui ergo in ſortem Domini ſunt vocati diſcant eum, qui ſecundum doɫtrinam eſt, fidelem ſermonem, ut exhortari in doɫtrina ſana, & contradicentes arguere poſſint. (3) Litterarum idcirco, Scientiarumque ſtudium minime remittant, ut repulſæ vitent pudorem, cum ad Nos ſuum ingenium accedent comprobaturi.

II. Libera Patrimonii, vel Sacerdotis fruitio, ac fruɫtuum perceptio ad fraudes omnes evitandas, non tantum in Subdiaconatus, verum etiam in Diaconatus, & Præsbyteratus promotionibus in Aɫtis probari debet.

III. Sciant ii, qui in Sacris Ordinibus ſunt conſtituti, minime

D poſſe

(7) *Ibid. n.* 5.
(8) *Ibid.*
(9) *Ibid.*
(1) *Aggeus cap.* 2.
(2) *Oſeas cap.* 6.
(3) *Ad Tit. c.* 1. 10.

posse Beneficium dimittere, absque Ordinarii Decreto. (4) Item Patrimonii alienationem Fideijussio sapit. Idcirco Sacerdotibus prohibetur super titulo suæ Ordinationis onus imponere. Qui secus egerit fraudulenter, lethali culpa carere minime poterit, neque ecclesiasticas vitabit Censuras.

IV. Qui Titulo fictitio, fiduciario, vel falso ad Ordines Sacros promovetur, suspensionem ipso facto incurrit. (5)

V. Cum onus aliquod Patrimonio inest, ingenue fatendum est, ut Nostra possit adprobatio, vel reprobatio accedere, puta si totum Familiæ Patrimonium pro unius filii clericali titulo constituatur, ex quo tamen Pater, Fratres, Sorores, universa denique Familia esset sustendanda. Secus pœnam a S. Canonibus indictam tamdiu subibit, quamdiu promotus aliunde provisus congruum Titulum cum nemine communicato jure possidebit (6).

VI. Illud præ oculis habeant Clerici promovendi, ne scilicet commendatitiis suffulti Nos aut scripto, aut præsentia adeant, nam illos, uti meritis omnibus expertes, & omnino indignos repellemus. Nonnulli etiam artificiose, aut per vim quasi manuum impositionem ab Episcopo carpere contendunt. Nos autem eorum promotionem eo usque protrahendam ducemus, donec Legi humiliter obtemperantes, bonis moribus, & clarioribus meritis cumulati, ii fiant, qui ad Altaris ministerium a Nobis libentissime possint mancipari (7).

CAPUT X.

De Sacramento Matrimonii.

I. SAcramentum hoc magnum in Christo, & in Ecclesia a Deo institutum fuit, ut ex individua Viri, & Mulieris vitæ consuetudine, & sanctificarentur Conjuges, & susceptæ prolis mores ad æternam vitam promerendam instituerentur.

II. In sponsalibus contrahendis plura sunt observanda, præter consensum coram Parocho præstitum, in quo serventur, quæ a Synodo Piazza statuta sunt, signanter, ut accipiatur ab uno seorsim ab altero, ne dum Sponsalia de futuro Parochus exquirere arbitratur;

(4) *S. C. Con. in Terracin. 10. Jul. 1609., & 16. Nov. 1686., Trid Sess. 21. c. 2. de Ref.*

(5) *Fagn. in cap.* Cum secundum *de Præb. n. 68., 69.*

(6) *Ibid.*

(7) *Syn. Piaz. in Ap. huj. cap.*

tur, Sponsi per verba de præsenti matrimonium celebrent (1). Ea occasione Parochus meminerit etiam, atque etiam obtestari, graviterque monere Sponsos, ut *quam primum* in facie Ecclesiæ contrahant Matrimonium, ne interim loco devotionis, ac fidei per pericula, & peccata, atque etiam scandala se præparent ad suscipiendum Sacramentum hoc *Magnum in Christo, & in Ecclesia*, ut ait Apostolus Cap. 5. 32.

III. Si quis uni cum spoponderit, alii deinceps fidem suam obstrinxerit, grave piaculum admittit (2). Sponsalia igitur etiam non jurata, inviolate serventur, nam qui prioribus contemptis ad alia transire præsumpserit arbitrio Nostro punietur. Pœnam ipsam multo graviorem exposcemus ab iis, qui ut facilius recedere possint a prima obligatione, cum secunda rem habere per summum facinus non verebuntur.

IV. Insuper qui post contracta Sponsalia, alio se conferunt, nihil solliciti de data fide, & neque quo diverterint, vel quando redituri sint aliquo modo profitentur, sciant Nos a Sponsa in Civitate, vel Diœcesi commorante requisiti, congruum terminum ad Matrimonium in facie Ecclesiæ contrahendum præfinituros, quo elapso, partem ipsam hic manentem, liberam a fide præstita renunciabimus (3).

V. Famuli, qui paternam habent domum vel Matris, vel Fratrum, ubi se recipiant pro celebratione Matrimonii, coram Parocho eorum domicilii contrahant, non autem Familiæ, cui inserviunt. Forenses vero, & qui non habent domicilium in altera Paræcia Civitatis, valide a Parocho Dominorum, quibus suam operam locabunt, copulantur (4).

VI. Parochi eos acriori objurgatione prosequantur, quos postinita sponsalia inter sese conversari repererint, & eo fortius, si sub eodem tecto commorentur. Si autem eos non audierint, Nobis, vel Vic. N. Gen. rem continuo deferant (5).

VII. Accepimus insuper, non sine animi Nostri mœrore, in Diœcesi fieri Convivium quasi nuptiale in Domo Sponsæ eo die, quo tertio Matrimonium proclamatur, ad quod Sponsus, & sanguine conjuncti accedunt, totusque dies in comessationibus, & choreis, quæ etiam in nocte protrahuntur, insumitur, maximo cum Animarum de-

(1) *Syn. Piaz. hoc cap.*
(2) *Ibid.*
(3) *Lamb. Inst. 11. c. 6. n. 5. 6.*
(4) *Lamb. loc. cit., & Inst. 88.*
(5) *Syn. Piaz. hoc cap.*

detrimento, eo vel magis, quia festivus dies operibus tenebrarum contaminatur. Malam hanc consuetudinem abrogare volentes, prohibemus, ut imposterum tali die, neque hujusmodi convivium fiat, neque cetera perpetrentur, quæ modo diximus; neque Sponsus ad domum Sponsæ accedere præsumat (6), sub pœna unius aurei pro quolibet eorum, qui tali convivio interfuerit, & trium aureorum, nec non carcerationis, aliarumque pœnarum arbitrio Nostro contra domesticos Sponsæ, a quibus invitati excipiuntur.

VIII. Perlatum itidem Nobis fuit confici Matrimonium postea in faciem Ecclesię nulla comitante caterva conjunctorum, contra ejusdem Ecclesię ritum, & alia fieri, quæ in Animarum perniciem vergunt. Nos itaque sub iisdem pœnis jubemus, ne frequentia Propinquorum umquam adhibeatur, nisi eo die, quo Sponsi ad Ecclesiam pergunt, ut a Parocho rite conjungantur, quo eadem die Sponsa deduci debet, ut sub eodem tecto sit cum Sponso suo. Tunc vero cunvivium parari non vetamus juxta modestiorem non satis laudandum regionis illius consuetudinem. Choreas tamen ducere prohibemus in diebus Festis etiam post nuptiale convivium. Mala enim extirpanda sunt, non toleranda.

IX. Prohibemus item sub pœna unius aurei, ne Sponsę post contractum in Ecclesia Matrimonium, & post plurium dierum cohabitationem cum Sponsis suis, iterum ad suos Parentes, vel Consanguineos se recipiant, ut antea; ibique post totidem dies a suis Sponsis diurno, ac nocturno tempore ita sejunctæ permaneant, reversuræ post illos dies ad stabilem deinceps sub eodem tecto cum iisdem Sponsis suis cohabitationem. Pravum hunc agendi morem in rusticorum præcipue Matrimoniis novimus invectum, quem vulgari nomine vocant *Rivoltaglie*. At illum abolere, & radicitus extirpare cupimus, & efficaciter volumus, plurima enim mala ex eodem oriri compertum est. Nuptiæ iterum in domo Sponsi fieri poterunt, nam nos eas non vetamus, sed Mulier cum viro suo cohabitet: reprobamus enim quidquid in contrarium peragere solent rudes. Qui vero commodum, seu permissum in prædictis casibus præstabit, eadem Lege, ut supra num. VII. hujus Capitis punietur, nec vir ipse Nostram coercitionem effugiet, si talia permiserit, aut connivebit.

X. Tollatur etiam abusus, quem sublatum etiam recepimus in Syno-

(6) *Lamb. Instit. 46, n. 26.*

Synodo Cantoni (7), quo mediatores Matrimoniorum, vulgo *Bracchi*, apprehensa dextera Sponsorum, utramque mutuo conjungunt, & promissionem de futuro Matrimonio ineundo aut facere, aut renovare, ipsis præsentibus suadent. Neque indecoræ hujus actionis auctores pœna pecuniaria, & etiam carceris carebunt.

XI. Plurimum hac in re confidimus prudentiæ, & zelo Parochorum, quorum conscientiam oneramus, illosque obsecramus, ut pastorali, quo decet, studio, & charitate curent omnino tollere a Rusticorum animo quaslibet hujusmodi pravas, & forsan superstitiosas consuetudines, dum hoc Ecclesiæ Sacramentum celebrare volunt. Fideles eorum curæ commissos serio edoceant excellentiam, & dignitatem hujus Sacramenti, & reverentiam eidem debitam, ut digne ad illud accedant Christifideles, & Gratiæ sanctificantis participes fieri possint, quod commode, & aptissime agere poterunt Parochi omnes in actu, quo Contrahentium recipiunt consensus præstationem.

XII. Meminerint demum Parochi ipsi, illis esse vetitum nuptialibus Conviviis adesse. Idcirco sint quæso suæ memores Dignitatis, neque his cœtibus se immiscentes, eam tam inconsulto abjiciant (8).

CAPUT XI.

De vita, & Honestate Clericorum.

I. CLerici, & Sacerdotes in sortem Domini vocati, nihil in habitu, incessu, & conversatione proferant, quod turpe videatur, characterem dedeceat, vel sæculare sapiat. Veste munda, sed nigri coloris, & talari, in festis diebus saltem usque ad meridiem, semper ipsi in Civitate, & Oppidis induantur (1). Ornamenta superflua abjiciant; Coronam, & Collare, tamquam Christi militis insignia, continuo deferre non erubescant.

II. Quicumque Clericali militiæ cogitans adscribi, vel ad majores Ordines promoveri, sciat se non alio posse comparare modo, nisi recte servando methodum in studiorum suorum curriculo, quam hic

(7) *Syn. Cant. §. ultim. de Matrim.*

(8) *Syn. Piaz. hoc cap. n. 12.*

(1) *Syn. Piaz. hoc cap., Clementina* Quoniam *de vite &c.*

hic injungimus. In primis itaque noverit, sibi addiscendam esse Linguæ Latinæ Grammaticam, qua facilem ad ceteras facultates aquirendas viam sibi sternere possit. Inde Rhetoricam biennio excolat. Tum si universæ Philosophiæ non licet, saltem rationali scientię, seu Dialecticę anno integro det operam. His vero disciplinis instructus Sacrę Theologię, aut Juris Canonici facultatem aggrediatur, quarum uni, aut alteri ante Subdiaconatum per integrum annum incumbat. Item per alterum ante Diaconatum, ac demum alterius anni spatio ante Sacerdotium; & sic per integrum triennium, explorata ejus diligentia, & in studio solertia, cujus apud Nos periculum facere debebit, alacriori, & fidentiori animo ad sacrum Ministerium eum promovebimus. (2)

III. Clericos omnes saltationibus sive publicis, sive privatis, quocumque in loco, vel tempore habeantur, ne dum se immiscere, sed & interesse, vel personam induere, districte prohibemus. Si quis vero Sacerdos, vel in alio sacro Ordine constitutus, vel Clericus beneficiatus, cum Fœminis choreas ducere ausus fuerit, Suspensionem a Divinis Nobis reservatam ipso facto incurrat, aliasque pœnas arbitrio Nostro infligendas, juxta gravitatem culpæ, & scandalum. (3)

IV. A venationibus clamorosis, a mercatibus animalium, a delatione armorum, a tabernis, ab aleis, & ludis quibuscumque, quos S. Canones vetant, nec non ab iis omnibus, qui *d' Azzardo* nuncupantur, & qui novissimo Decreto pro Urbe Roma, & Nostra etiam Romandiolę Provincia prohibentur (4) se abstineant omnino Ecclesiastici omnes sub pœnis arbitrio Nostro irrogandis. Quod si aliquando licitis ludis, recreandi animi gratia detineri velint, id, dum ne publice, aut per notabile temporis spatium fiat, non vetabimus. (5)

V. Nullus Clericorum audeat Fœminis, quamvis consanguineis præsertim per vias, & plateas, brachium, aut manus sacris Mysteriis tractandis deputatas porrigere, neque noctu per urbem, aliaque loca profana excurrere canendo, vel musica instrumenta pulsando, seu id agentibus comitem se præbere. Si quis autem suæ conditionis

(2) *Syn. Piaz. c. 11. n. 7.*
(3) *Syn. Piaz. c. 13. n. 9. Syn. Rav. Cant. & Codr.*
(4) *Part. Edicti Sanctissimi D. N. in Ap. n. VIII.*
(5) *Syn. Piaz., ut supra Syn. Rav. Codr. par. 3. c. 6. n. 8.*

nis immemor similia perpetraverit, arbitrio Nostro punietur, habita majoris, vel minoris scandali ratione, ad aliorum exemplum. (6)

VI. Sub iisdem pœnis omnibus Ecclesiasticis prohibemus Fœminarum consuetudinem, & familiaritatem, sed multo magis suspectas adire, aut alloqui. Et si quis Parochus, aut Ecclesiasticus seorsim a consanguineis vivens, mulierem famulam apud se habeat, hæc sit extra omnem suspicionem, & Nostra accedente adprobatione. (7)

VII. Illud propterea, ut Clerici, & Beneficiati advertant, serioque perpendant enixe optamus, quod habitum clericalem, & patentem Tonsuram non gestantes, ipso jure amissionis, & privationis fructuum eorumdem Beneficiorum pœnam incurrunt, ita ut illos percipere, vel perceptos retinere, & suos facere nullo modo possint (8). Ipsi ergo quoad præteritum tempus propriæ consulant conscientiæ, sed caveant imposterum, nam Nos pœnę executionem omnino præcipiemus, & solita præveniente monitione illos titulis, quibus immerito gaudent, expoliabimus. Indignamur enim Ecclesiæ stipendiis augeri, quos ad Ecclesiam pertinere ipsos pudet, curantque summopere, ut ne habitu quidem dignoscantur. Hi cum divo Bernardo sibi ipsis jure exprobrare illis verbis possunt: *Ego quædam sæculi chimæra, non Clericum gero, nec Laicum*. (9)

VIII. Sanctiones Ecclesiasticas a Pontificibus sæpius latas contra Ecclesiasticos negotiatores, alias huic Diœcesi ad servandum propositas a Prædecessore Nostro iterum in mentem revocamus, nec in Legem peccantes quovis prætextu paupertatis propinquorum, vel interpositæ personæ se tueri possunt Sacerdotes, contra quos etiam per inquisitionem agendum esse duximus (10). Ignominia enim Sacerdotis est propriis studere divitiis.

IX. Clerici sciant numquam ad altiores Ordines se ascensuros esse, nisi omnia huc usque memorata effugiant, & ab aliis illicitis se abstineant. Illos etiam ab Ordinibus repellemus, quos inveniemus non interfuisse Dominicis diebus in Domo Missionis, & ibidem

(6) *Ibid.*
(7) *Ibid.*
(8) *Syn. Rav. Codr. ibid. n. 3.*, *Ben. XIII. Const.* Cath. Eccl.
(9) *Trid. Sess. 14. c. 6. de Ref.*
(10) *In Ap. Syn. Piaz. ad cap. 13.*, *Dec. 1. n. 9. Tit. 43.*, *Conc. Falc.*, *Ben. XIV. de Syn. Diœc. c. 6. n. 4.*

dem non adfuisse Feriis quintis, quibus Ecclesiasticę Collationes haberi solent. Item si eos negligentes reperiemus ad Casuum resolutiones, & ad Doctrinæ Christianæ scholam in propria Paræcia, vel alia eis adsignata Ecclesia.

X. Illos omnes, quos reperiemus in Laicorum domibus vilia tractantes, atque in eorum famulatus opem locantes contra Canonum Sanctiones, gravibus pœnis arbitrio Nostro puniemus (11). Videantur Monita D. Caroli in Appen. n. IX.

CAPUT XII.

De Capitulo.

I. SIcut Angeli in cœlo, sic ministri ordinati sunt in Choro: *Opus Angelorum est semper Deum laudare: Opus Canonicorum est intenta mente* psallere, & orare (1). Omnes quotquot adsunt Dignitates alios per bonum exemplum ad regulas servandas adigant, & quorum est communis oratio, officium idem, & locus, in unum conveniant charitate perfecta. Psallite Domino in hymnis, & canticis spiritualibus, ut non vituperetur ministerium vestrum. Levate manus puras, sine ira, & disceptatione. Exemplum estote Fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. (2)

II. Dum in unum conveniunt, ea absque jurgiis, contumeliis, & clamoribus disquirant, quæ ad Ecclesiæ utilitatem, & Domus Dei nitorem pertinent. (3)

III. Omnes in gradu suo consistant, ne fratrem aliquis conturbet, aut illi temere adversetur, quod omnino absit.

IV. Nullus Canonicorum a Choro discedat, Prefecto non annuente, nisi Divinis Officiis omnino absolutis, inclusive orationibus post Officium recitari solitis, nisi urgens necessitas eum premat, alias punctetur tamquam absens pro illa ultima hora. (4)

V. Punctatores fideliter Officium suum impleant, quod quoties aggrediuntur, toties in manibus Nostris, vel Vic. N. Gen. juramentum prestare volumus illud sancte exequendi. Quolibet quoque anno

(11) *Syn. Piaç. eod. cap. n.* 14.
(1) *A Kempis.*
(2) *Ad Tim.* 4. 12.
(3) *Con. Mediol.* 4., *Syn. Piaç. hoc cap. n.* 14.
(4) *Monita S. Caroli ad Can. & Conc.* 4. *Mediol.*

anno, & pro libito Noſtro Librum ſallentiarum Nobis exhibeant, ut an recte munus ipſis demandatum expleverint cognoſcamus.

VI. Canonici ſemel in menſe, intimatione præmiſſa, & in Capitulari libro expoſita, in unum conveniant, niſi utilitas, vel neceſſitas Eccleſiæ ſæpius id fieri poſtulet. Negotia non in eo, quo proponuntur Capitulo expediantur, ſed in ſequenti, niſi caſus urgeat. Qui abſque legitimo impedimento abſuerint, trium dierum punctatione corripiantur; valide vero abſque eorum interventu, cum vocati fuerint, omnia ſtatuentur, citra Capituli diſpendium. Cum ſermo erit de aliquo ex Capitulo, tam ipſe, quam ejus conſanguinei, & affines, uſque ad ſecundum gradum incluſive, ab aula capitulari ſe ſubducant, ut omnes libere ſuam proferant ſententiam. Omnia tandem a Secretario in libro ab eo ſervando fideliter ſcribantur (5).

VII. Divi Caroli monita in Append. dabimus num. X. ſecundum quæ & animum in Divinis peragendis, & corpus componere curabunt.

VIII. Ne Chorus debito fraudetur obſequio, mandamus, ne ab eo ſupra tertiam partem abſint, neque Adventus, & Quadrageſimæ temporibus vacationes contra Canones ſumant, alias ſolita punctatione multentur (6).

IX. Qui ultra tres dies a Diœceſi abſuerit, Nobis inconſultis, trium aureorum pœna punietur (7).

CAPUT XIII.

De Parochis.

I. QUi Populo præſunt, tamquam lucernæ ſuper candelabrum poſitæ videant, ne offendiculum puſillis præbeant, ſed ita mores ſuos componant, ut aliis verbo, & exemplo prædicent. Habeant igitur myſterium Fidei in conſcientia pura, qui enim bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in Fide (1).

II. Decorem Domus Dei, & nitorem ſacræ ſuppellectilis ſemper

E pro

(5) *Syn. Fiaz. c. 14. n. 9., & ſeq.*
(6) *Lamb. Inſt. 107. n. 3.*
(7) *Lamb. ibid., Syn. Fiaz. hoc Cap. n. 3.*
(1) *Ad Timoth. 1. c. 3. 9.*

pro viribus Parochi promovere, & conſervare curent. Miſſam pro Populo diebus Feſtis jugiter celebrent juxta Conc. Trid. mandata (2), & Bened. XIV. Conſt. in Append. Synodi Piazza legendam (3), eamque in Codice ad id parato cum expreſſione diei, nominis, & cognominis ejus, a quo fuerit celebrata, propria manu conſcribant.

III. Parochi ſuas oves non deſerant, mercenariorum more, non enim excuſabitur Paſtor, ſi Lupus oves comedat. Sanguis earum de ipſarum manibus a Supremo Judice exquiretur, nam eas aquiſivit ſanguine ſuo (4). Attendant quæſo Apoſtoli verba præcipientis, ut in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant (5). Caveant igitur, ne Populo verba deſint, eique res ad ſalutem aſſequendam ſcitu neceſſarias diebus feſtis enucleare non detrectent, panemque evangelicum in Miſſa ſemper pro viribus, & ad captum uniuscujuſque omnibus ſedulo frangant. Quantum enim in Domino gloriamur pro his, a quibus munus hoc alacriter præſtatur, tantundem, atque eo magis mœrore afficeremur, ſi quos ſuarum partium immemores inveniremus. Ex his cognoſcant Parochi, per ſe ipſos debere munus ſibi demandatum exercere, & per alios in ſubſidium. Idcirco Coadjutores ſibi adſciſcant, non ut otioſe ipſi viventes, totum in eos officii pondus rejiciant, ſed ut ſuppleant in Populi frequentia, & in partem laboris, Parochi vires excedentis, advocentur (6).

IV. Parochi Reſidentiæ legem, quam Conc. Trid., & Summi Pontifices tantopere commendant, meminerint ab ipſis religioſe obſervandam. Nedum vero otioſe, & ſola præſentia aſſideant, ſed opere quoque, & labore omne conferant ſtudium, ut oves ſibi commiſſas recte cognoſcant, pro his Sacrificium offerant, Verbi Divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, & exemplo bonorum operum paſcant. Pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerant, & in cetera omnia paſtoralia munera ſerio, & ex charitate incumbant.

V. Neque ii Animarum Curatores huic legi ſatisfacere intendent

---

(2) *Seſſ. 6. c. 2., 7. c. 5., 21. c. 6., & 25. c. 16.*

(3) *In Ap. Syn. Piaz. cap. 15. n. 1. Notabiliores vero particulæ ejuſd. Conſtit. habentur in hac Appen. n. XI.*

(4) *Trid. Seſſ. 6. c. 1. de Ref.*

(5) *2. ad Tim. 4.*

(6) *Syn. Piaz. hoc Cap.*

dent umquam, qui tam diurno, quam nocturno tempore in Urbe jugiter commorantur, exceptis solis diebus Festis, quibus ad proprias Ecclesias se conferunt. Neque illi, qui nocturno ceteroquin tempore residentes, Missa summo mane celebrata, Urbem petunt, & in ea diurno tempore totius, vel majoris partis anni permanent, quamvis pascendis ovibus substitutum ab eis deputatum relinquant, contra id, quod jam a S. Congreg. Conc. declaratum fuit (7).

VI. Nullo occurrente festo, & nemine corporis infirmitate in Paræciæ suæ finibus laborante, si Parochi pro suis agendis negotiis, aut alia rationabili causa biduo, aut triduo abesse voluerint, id illis non liceat, sine Nostra facultate in Civitate, & Vicariorum Foraneorum in Diœcesi; Si vero longioris temporis spatio sint recessuri, Nostram exquirere debebunt licentiam, quam non nisi in scriptis, & causa cognita concedemus, & idoneo relicto substituto a Nobis ad parochialia munia obeunda adprobato (8).

VII. Si autem Parochos aliquos desides inveniemus, quod absit, sciant se lethali crimini esse obnoxios, & a Nobis pro gravitate culpæ esse puniendos.

VIII. Quamvis a Prædecessore Nostro Piazza consilium fuerit datum Parochis; ut postquam sunt delecti ad munus parochiale, secedant per decem dies in Domo Missionis ad vacandum spiritualibus exercitationibus, antequam tantum opus aggrediantur, Nos tamen non latet id raro, vel numquam servari. Sciant igitur, quod eis imposterum institutio denegabitur, nisi prius constiterit in Nostra Cancellaria per attestationem Superioris Missionis, ipsos monitis hisce synodalibus paruisse. Cum vero necessitas urgebit, a Nobis, vel Vic. N. Gen. dispensari, vel potius ad aliud tempus transmitti petant.

IX. Oblationes a Parochianis Altari, vel Sanctorum Imaginibus, præsertim in Diœcesi factas in expressam causam erogent Parochi, easque in Codice proprio ad id tantum compacto, describant; non vero in Libris, in quibus Missæ adnotantur. Expensæ autem ita moderentur, ut numquam ære alieno pium opus, vel Societas gravetur. Volumus enim id periculo Parochi omnino cedere. Societatum proventus, & eleemosynæ numquam impendantur in Ec-

E 2 cle-

---

(7) *S. C. Conc. 8. Feb. 1747. In Ap. Syn. Piaz. c. 15. n. 1. in hac Append. n. XII. Syn. Rav. Codr. par. 3. c. 14. n. 16.*

(8) *Ibid.*

clesiæ restaurationem, nisi Nostra accedente facultate in scriptis danda, alias nihil eis profuturum sciant, & teneri de proprio ad reficienda damna. Si consuetudo inveterata eis hunc titulum præbeat, a Nobis tamen, ut iterum probetur oportet (9).

X. Cum contigerit mortuos in Libro Defunctorum describi, si de conjugatis sit sermo, apponatur nomen conjugis superstitis.

XI. Parochi de præcedentia inter se certantes, consuetudinem servent, & quę a Nobis Cap. IV. n. 18. hujus Synodi præfinita fuerunt. Qui turbas contra id, quod fuerit præscriptum excitabit, a judicii limine repelletur, & arbitrio Nostro punietur (10). Quorum autem jura revera læduntur, Nobis ea probent, & re mature discussa, Nostræ sententiæ acquiescant. Nec umquam speciosi tituli præsidio, quod sarta tecta propriæ Ecclesiæ jura se servaturos jurarunt, juvari confidant, Nobis aperte contradicendo. Meminerint enim volumus, eos primo obedientiam, & reverentiam Ordinario jurasse. Idcirco sacramentum illud invasores, & injuste usurpatores tantum respicit.

XII. Sancte sunt a laudata Decessoris Synodo omnia constituta, quæ nisi exacte serventur, pœnas ibidem præscriptas subibunt transgressores. Volumus signanter, ut quæ de Conviviis edicuntur, exacte custodiantur. Dolendum quippe est Parochos Decretis Synodalibus contraire, & vel magis, cum in dispendium pauperum id agatur, quibus subtrahitur quidquid ultra necessitatem in lauta mensa uno die consumitur. Nos imposterum contra inobedientes pro viribus obsistemus (11).

XIII. Caveant demum Pastores Animarum litigia, & contentiones cum ovibus sibi commissis, ne charitas frigescat, & scandalizentur pusilli. Si dissidium aliquod oriatur, compositione amicabili tollatur; & si medium nullum sit, ad Nos, vel Vic. N. Gen. facti seriem exponant, qui tamquam Patres, non Judices omnia componere curabimus.

XIV. In testimonio ferendo quoad mores illorum, qui degunt in propria Paræcia, caute se gerant, ne plus æquo ipsorum instantiæ indulgeant. Si quis vero indignum tali præsidio munierit, arbitraria pœna punietur. Item commendatitiis non juvent eos, aqui-

(9) *Syn. Piac. c. 15. n. 17. post Syn. Rasp. in Addit. ad cap. 43.*
(10) *Ibid. n. 24.*
(11) *Lamb. Instit. 54., Syn. Piac. hoc Cap. n. 24.*

quibus res ſcitu neceſſariæ ignorantur, illoſque a Matrimonio contrahendo, & ab officio Patrini, ſeu Suſceptoris arceant (12).

CAPUT XIV.

De ſacroſanctis Eccleſiis, & Altaribus deque eorum Juribus.

I. Elegi, & ſanctificavi locum iſtum, ait Dominus, ut ſit Nomen meum ibi in ſempiternum (1). Si autem de templo, in quo oves, & boves imolabantur, ſic loquutus eſt, quid de Eccleſiis, in quibus verum Chriſti Corpus quotidie pro peccatis noſtris Deo Patri offertur? Ab eis omne immundum, omne profanum, indecorum, & ſordidum pellatur (2). Mulieres velato capite, & modedeſtis veſtibus in Eccleſiis ſtent, ne ipſæ, & quæ ab eis in ruinam trahuntur Animæ, Deum vindicem habeant (3).

II. Altaria telis ſtragulis a ſordibus tegantur ſub pœna unius aurei: Pileos, & alia profana ſuper Altarium menſis nemo ſuperimponere audeat (4). Si autem quis ſemel correptus, monita contempſerit, Æditius mandamus, eos ad Nos, vel Vic. N. Gen. deferre. Cum Altaria in feſtivitatibus componuntur, ad menſam ampliandam plura pallia illis adjungunt aliqui, quo fit, ut ſacer lapis nimis a fronte diſtet, & in ſacrificando Calix, & Hoſtia extra ipſum lapidem contra præſcriptum collocentur. Ne id impoſterum fiat, vetamus ſub unius aurei pœna Eccleſiæ applicandi.

III. Homines ſolo induſio, vel veſtibus ſuper humeros projectis, vel rete caput obvoluti in Eccleſia Dei non tolerentur (5).

IV. Eccleſia Dei non eſt munienda more caſtrorum, & domus pacifici Numinis armis non eſt inſtruenda. Eccleſiarum Rectores igitur curent omni ſtudio, ne arma muro, & foribus ipſarum admoveantur juxta id, quod in Noſtro Edicto cautum fuit (6).

V. Le-

(12) *Lamb. Inſt. 46. cit. in Syn. Piaz. c. 12. n. 4. Edict. in Append. ejuſd. Syn. ad Cap. 5.*

(1) *Paral. prim. 8. 16.*

(2) *Conc. prov. Mediol. IV.*

(3) *Syn. Diœc. Mediol. II.*

(4) *Syn. Piaz. c. 6. 8.*

(5) *In Ap. n. XIII.*

(6) *Ibid.*

V. Legem in præfata Synodo circa immoderatum Campanarum sonitum instaurantes normam ab eodem præscriptam, & quam dabimus in Appen., adamussim servari mandamus (7). Æditui, Sacristæ, & Ecclesiarum Rectores eidem pœnæ subjicientur, nisi præmissa observari curent, quam multam Sacristiæ Cathedralis Nostræ nunc perpetuo addicimus, ad cujus exequutionem nulla præmissa intimatione, vel examine, deveniendum esse sciant. Sufficiet enim Legem infringere (8).

VI. Cum defertur Viaticum moribundis nocturno tempore, ne pulsentur Campanæ post datum signum vespertinum Salutationis Angelicæ (9).

VII. Equorum agitationes in plateis Ecclesiarum, vel prope Ecclesias ipsas districte vetamus, sub pœna decem Juliorum, aliave arbitrio Nostro, juxta casuum, & personarum qualitatem (10).

VIII. Ecclesiarum bona, juraque ab earum administris integra serventur, & qui damnum intulerit, idem refundere cogetur. Qui vero bona, vel pecunias locis piis addictas in proprios usus convertere præsumet, id dolo constituetur, & tamquam de furto reus reputari poterit, nec excommunicationes contra talia patrantes latas effugiet (11).

IX. In Oratoriis ruralibus privatis Missam diebus festis nemo celebrare præsumat ante Missam parochialem, Nobis inconsultis, sub pœna trium aureorum. Parochi autem celebrent hora competenti. Tempore, quo Parochus celebrat, vel Populo Evangelium explicat in oppidis, & ruri, non pulsentur Campanæ Ecclesiarum minorum, ne Populus ab auditione Verbi Dei avertatur. Nos igitur, cum facultatem faciemus justis de causis celebrandi Missam in præfatis Oratoriis, ante Missam Parochialem, numquam permittemus pulsari Campanas, ne Fideles, signanter rustici a propria Paræcia distrahantur. Qui secus fecerit, pœnam unius aurei qualibet vice luet.

CA-

(7) *In Append. n. XIV.*
(8) *Ibid.*
(9) *Syn. Rasp. c. 26., Piaz. cap. 16.*
(10) *Syn. Piaz. loc. cit. n. 11.*
(11) *Trid. Sess. 22. c. 2. de Ref., Syn. Piaz. c. 24. n. 2.*

CAPUT XV.

De dierum Festorum observatione, & sanctificatione.

I. MEmento, ut Sabbata santifices, ait Dominus Moysi (1), benedixit enim Deus diei Sabbati, & sanctificavit eum. Hæc de festivitatibus Judeorum loquutus est Deus, quid igitur de nostris?

II. Opera quæcumque servilia die festo prohibentur a Lege Divina (2). Quos ergo invenerimus contra Legem peccare, statis pœnis in Nostris Edictis puniemus (3). Præ omnibus vero optamus omnes a culpis vacare, a crapula, a ludis, & vanitatibus, ne Divinam ultionem in prævaricantes sævire contingat (4).

III. Quicumque contractus venditionis, locationis, transactionis, & hujusmodi a S. Legibus vetantur, neque eos tolerabimus in diebus festis (5).

IV. In vendendis, ac exponendis mercibus in festo serventur; quæ in nostro Edicto suprarelato in Appen. num. 13. constituimus, ea omnia renovantes, quæ in illo præcipiuntur.

V. Similiter in Diœcesi Villicis id omne interdictum esse volumus, quod sapit servile (6). Tritici tritura, vel hominum, vel beluarum ope omnino prohibentur in Dominicis, & aliis festis diebus. Nulla enim necessitas, vel saltem rarissima id suadere poterit fore permittendum. Equos, vel alia animantia, si quis ad id locaverit tempore festivo, pœnam in memorato Edicto statutam dabit. Contra recidivos autem gravioribus pœnis procedemus (7).

VI. Cum a Nobis, vel Vic. N. Gen. licentia in aliquibus casibus impertietur, nihil eam obtinentibus suffragabitur, nisi Vicariis Foraneis, vel proprio Parocho illam offerant, qui cognoscent de casu necessitatis expresso, quo cessante exequutionem denegabunt. Si quis contra fecerint, eadem pœna punietur, ac si facultas nulla accederet.

VII.

(1) *Exodi* 20. 8.
(2) *Const. S. Pii V.* Cum primum.
(3) *In Ap. n. XIII.*, & *XV.*
(4) *S. Cirillus.*
(5) *S. Pius V. Const. supracit.*
(6) *Syn. Piaz. c.* 17. *n.* 4., & *ab eo cit.*
(7) *In Appen. cit. n.* 13.

VII. Omnibus facultas denunciandi contumaces, & accusatori tertiam partem applicabimus pœnæ, uti in laudato Edicto cavetur (8).

VIII. Parochis in vero necessitatis non affectatæ casu, quando periculum est in mora, & quando perdifficilis ad Nos patet accessus, integrum erit dispensare; hoc enim in casu cessat Lex, quæ non obligat cum gravi damno (9).

IX. Coloni, & conductores domorum, qui e prædio, vel domo conducta discedunt, numquam mobilia in die festo curru, vel sarcinis compositis asportare presumant, sed pareant Edicto, pœnas graviores daturi, si precepto Divino, & Ecclesiastico contempto, Nostram ultionem provocabunt (10).

CAPUT XVI.

De sacris Jejuniis.

I. QUadragesimale Jejunium, quod ad Animæ, & corporis medelam institutum est, & cujus ope vitia curantur, virtutesque roborantur, haud fructuose a Fidelibus colitur, nisi mens ab iniquitate revocetur, & convivia pura, casta, simplicia, & moderata sint (1). *Non prodest oleo non vesci*, ait Hieronymus, *& molestias quasdam ciborum quærere, tota hortorum cultura vexatur, & cum delicias sectamur a regno Cœlorum retrahimur* (2).

II. Ne igitur inanis reddatur tam salubris Ecclesiæ institutio, caveant omnes ab esu carnium, & lactis temporibus vetitis sub specioso prætextu salutis tuendæ, nisi prius a medicis consilium, & a N. Vic. Gen. opportunam dispensationem in Civitate acceperit. In Diœcesi vero Vicarios Foraneos, vel proprios Parochos adibunt, quę dispensatio in scriptis, & gratis concedatur (3).

III. Phisicis autem verba S. Caroli perpendenda subjicimus, qui illos sic alloquitur: *Medici meminerint ita suarum esse partium corporis*

(8) *Ibid.*
(9) *Lamb. Instit. 65.*, *& ab eo rel. Wanesp. in Nicol. V.*
(10) *Edic. supracit. in Append. n.* XIII.
(1) *S. Leo Serm. 4. de Quadr.*
(2) *Lib. 2. Ep. 12.*
(3) *Conc. prov. Mediol. V.* §. Omnis, *&* §. Neque *Lamb. Instit. 15.*

poris incolumitati prospicere, ut ne obliviscantur potiorem habere debere Animarum salutem. Quapropter caveant diligenter, ne alienæ culpæ participent nimia facilitate sua in fide facienda necessitatis utendi cibis vetitis. Animadvertant igitur quæso, an vera, vel affectata sint momenta adversæ valetudinis: an usu lactis sanitati prospicere possint, vel etiam carnium, sed in aliquibus tantum diebus. Tunc enim nefas esset cum eis singulis diebus dispensare (4).

IV. Venditores carnium, cum servatur Quadragesima, nec non aliis diebus, quibus urget præceptum Jejunii, officinas non aperiant, neque carnes exponant; sed ostiolum tantum reserabunt pro infirmorum commoditate, atque eorum, quibus carnibus vesci erit permissum, sub pœna trium aureorum pro qualibet vice, aliisque arbitrio Nostro contra recidivos, & contumaces. Nemini præterea in Quadragesima carnes vendant, nisi facultatem in scriptis, ut supra exhibeat sub eadem pœna (5).

V. Iis, quibus integrum est servare abstinentiam ait Grisostomus (6): *Jejunas? Demonstra mihi per ipsa opera...... Si pauperem videas, miserere; Si inimicum, conciliare; Si amicum laudabiliter agentem videris, non invideas; Si mulierem videris speciosam, prætereas.* Quibus autem dispensatio favet, S. Cæsarius Arelatensis loquitur dicens (7): *Post, eoquod non potest quis jejunare, amplius debebit erogare pauperibus, ut peccata, quæ non potest jejunando curare, possit eleemosynas dando redimere.*

VI. Convivia immoderata in Quadragesima non sunt toleranda, docente Angelico: *Si quis autem immoderato potu utatur, potest peccare, & meritum Jejunii perdere; sicuti etiam si immoderate cibum in una commestione sumat* (8).

VII. Saltationes, sive Choreæ in Dominicis diebus Quadragesimæ eliminandæ sunt. Hæc Nos minime toleraturos edicimus propositis arbitrariis pœnis, etiam carcerationis contra refractarios, quos etiam inquisitione persequemur (9).

VIII. In petendis dispensationibus ab Apostolica Sede vescendi carnibus, vel lacte, & ovis in Quadragesima, id quod a Ben. XIV.

(4) *Idem loc. cit. n.* 17.
(5) *Syn. Piaz. in Ap. ad cap.* 18.
(6) *Hom.* 3. *ad pop. Anthioc.*
(7) *Hom. II.*
(8) *In* 4. *dist.* 15., *quæst.* 3., *art.* 4, *quæst.* 3. *ad* 2. Summæ.
(9) *Bened. XIV. Const.* Inter *cætera* 1. *Jan.* 1743.

im. mem. proditum fuit attendatur. En ipsius verba: *Peculiares morbi, quamvis frequentes imposterum pro causa solvendæ abstinentiæ non adducantur, nisi forte* civibus universis *iidem morbi communes habeantur, ob aliquam aëris corruptionem. Neque imposterum erbarum, olei, piscium, & ovorum pretia tanti ponderis esse censeantur, ut omnis Civitas, vel Diœcesis ab instituto Quadragesimæ Jejunio, ac temperantia liberari contendant* (10). Et paulo inferius: *Itaque si revera aliquo in loco, neque oleum, neque pisces comparari possint, tunc incolis ejusdem loci permitti fas est, ut lacte, & ovis utantur. Si hæc autem revera deficiant, tunc carnis, salubris tamen, edendæ facultas concedatur, interposita semper Jejunii servandi conditione.* Nos igitur duas tantum causas commemoratas a tanto Pontifice in petenda relaxatione ab abstinentia Quadragesimali admittemus, inanes rationes ex expiscatis momentis, & particularibus commodis mutuatas posthabentes, juxta quas non licet tantum negotium aggredi, quin nimiæ indulgentiæ, & forsan culpabilis, nota incurratur.

CAPUT XVII.

De Verbi Dei Prædicatione.

I. E*Untes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ita mandavit Dominus Apostolis, & Episcopis eorum successoribus (1). At negotiorum tum multitudine, tum varietate obruti pene Episcopi, viros probos, atque idoneos ad S. Prædicationis officium obeundum assumere coguntur. Alicubi præterea sive jure, sive consuetudine mos viget, ut Plebs, vel universitas, aut privatus aliquis Concionatorem Episcopo repræsentent. Quod ad Nos attinet, idoneos quidem, curæ Nostræ vicarios pro virili parte diligenter cooptabimus. Ceteros vero etiam, atque etiam in Domino cohortamur, ut religiosos, & doctos ministros sibi adsciscant, qui mores, non periodos componant, & verbum sanum irreprehensibile proferre studeant, quique potentes in opere, & sermone plebi Nobis commissæ Evangelii panem sedulo dilucideque frangant, eoque auditorum mentes doceant, & corda simul enutriant.

II. Curent summopere Concionatores Populis æternæ vitæ verba

(10) *Const.* Libentissime §. Illud etiam *in fine*, & *Instit.* 50. *n.* 1.
(1) *Math.* 17. 19.

ba prędicare, eorum aures non jocosis, aut humanæ prudentiæ persuasibilibus verbis mulceant, sed Jesum Christum, & hunc Crucifixum annuncient, Dei, & Ecclesiæ præcepta, Sacramentorum frequentiam, aliaque ad temporis, locive rationem accommodata illis servanda proponant. Miracula, & revelationes ex auctoribus non probatis nullomodo proferre pręsumant. Hęreticorum opiniones, eorumque contra Ecclesiam, ejusque disciplinam argumenta minime exponant, quamvis sufficiens subnectatur confutatio; nam evenire potest, ut quis sæculi philosophiæ imprudens sectator, venenum bibat, & antidotum rejiciat.

III. Parochi Concionatores moneant, cui vitio potissimum in Paræcia occurrendum erit, ut contra eum Prædicationis jaculo Verbi Dei Præcones certare pro viribus possint, & vepres vineam Domini suffocantes evellere.

IV. Nullus absque Nostra permissione, & Benedictione in Ecclesiis Civitatis, & Diœcesis prædicare præsumat, sub pœna arbitrio Nostro infligenda (2).

V, Parochos monemus, ut parvulis panem petentibus frangant, ovesque sibi commissas sacri eloquii pabulo indesinenter reficiant. Desides si quos inveniemus, opportunis remediis eorum socordiam excitabimus.

VI. Concionatores Quadragesimę in mense Decembri electionem suam Nobis patefaciant, quo elapso integrum Nobis erit alios in locum ipsorum sufficere. Qui autem ad hoc munus pro Adventu sunt delecti, id in mense Octobri præstare teneantur. Sciant enim Nos prędictis mensibus elapsis, & nullo exposito per eos documento, eorum nominationem, vel pręsentationem comprobante, venturos esse ad alterius ministri deputationem pro illa vice, qui tamen stipendium ab eis, ad quos spectat consequetur (3).

VII. Qua hora Episcopus, cujus pręcipuum munus est prędicandi, id præstat, nullus alius, cujuscumque ordinis sit, etiam in Ecclesiis Regularium, aut quomodocumque exemptis, sermonem Populo habere præsumant, nisi speciali facultate ab Episcopo impetrata (4).

(2) *Clem. X. in Const.* Superna.

(3) *Syn. Piaz. Cap. 19. n. 1.*

(4) *Conc. prov. Mediol. 4., & Conc. Vien. sub Clem. V., Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib. 9. c. 17. n. 3. 6.*

CAPUT XVIII.

De Taxa Funerum, de Exequiis, & Sepulturis.

I. TAxam funerum ab Episcopo Piazza, auditis Parochis Civitatis, & Diœcesis confectam iterum observandam proponimus; & in Append. dabimus. Omnes igitur monemus, ut eidem probe se conformare studeant, tam in Civitate, quam in Diœcesi, pro qua extat provisio, quam nisi servaverint pœnam, refundendo duplum summæ excedentis, incurrent in beneficium hæredum Defuncti, aliamque majorem subibunt in Synodo Piazza constitutam (1).

II. Ad jurgia tollenda in Processionibus funerum circa locum Parochis adsignandum, & reliqua ad hoc spectantia, partibus auditis, ea statuenda duximus, quæ in Append. dabimus (2) mandantes omnibus, ut Legi pareant, sub pœna unius aurei pro qualibet vice a contumacibus solvenda.

III. Quotquot ad funus conveniunt tam Sacerdotes, quam Clerici, veste talari, superpelliceo, & Bireto induti accedant. Laici vero sacco Societatis ad funebrem cæremoniam evocati vestiantur, rite, & devote psallant; ad Nocturnum, & Missam omnes intersint, secus stipendio priventur (3).

IV. Missam præsente Cadavere semper, quando fieri potest, cani volumus, vel saltem legi. Si defuncti paupertas celebrantem eleemosyna fraudabit, Parochum de proprio, vel Fidelium subsidiis in simul collatis, supplere summopere desideramus (4).

V. In solemnioribus anni festivitatibus, cum nequit cani Missa de Requie (5), neque præsente cadavere, prohibetur & Defuncti publica delatio ad Ecclesiam (6). Solemniores hujusmodi sunt Nativitas D. N. J. C., Epiphania Dom., primus dies Paschæ, & Pentecostes, Ascensio Dom., Festivitas Corporis Christi, Assumptio B. M. V., Festum Ss. Apostolorum Petri, & Pauli, Omnium Ss., Titularium Ecclesiarum, & Patronorum Civitatum, & Triduum majo-

(1) *In Apen. huj. Syn. n. XVI.*
(2) *Ibid. num. XVII.*
(3) *Syn. Rasp. hoc cap.*
(4) *Rit. Rom. de Exeq.*
(5) *S. Rit. Congr. 3. Dec. 1612., & 10. Aug. 1736.*
(6) *Caval. in Agen. Def. c. 25. Decr. 15. §. 7.*

majoris hebdomadæ. Nobis igitur inconsultis nemo audeat Defunctorum corpora ad Ecclesiam prædictis diebus festis deferre; & cum facultas Nostra, vel Vic. N. Gen. accedat, id præstandum nocturno tempore, atque omnino private fieri debet; ac Parochi in hoc tantum casu, solita eleemosyna erunt contenti, non autem duplicari debebit.

VI. Caveant Parochi, Ecclesiarumque Præpositi, ne in exigendis funeralibus emolumentis, nimis avidi appareant, & ne horum occasione oriantur querelæ, contentiones, & lites, quarum causa, ut plurimum nimię cupiditatis, & avaritiæ notari solent Ecclesiastici, & etiam Animarum Pastores, qui contenti esse debent prædictæ Taxæ a Nobis datæ in Appendice (7). Salvo igitur in omnibus, & cum omnibus eorum jure, mitius admodum agant cum pauperibus, & indigentibus, quibus emolumentum vel in totum, vel in partem, juxta personarum, & Familiarum qualitatem remittere poterunt.

VII. Aliquando etiam evenire solet, ut eodem funere tumulanda sint Cadavera Matris simul, & Filii, vel Filiorum nuper natorum. Item ut ad sepulcrum ducantur cadavera duorum, vel plurium infantium ex uno, eodemque partu progenitorum. Et in hujusmodi casibus Parochi, non pro numero cadaverum, sed pro unitate funeris, unum tantum emolumentum exigant (8).

VIII. Stipendia occasione funerum non palam, vel in Ecclesia iis, qui funeri intersunt, dentur, nec tempore, quo canitur Missa, ac Defunctis parentatur, sed in Sacristia; vel adnexa domo, ne rudes videntes, pretium putent, quod emolumentum est, & ne sacra cæremonia turbetur (9).

IX. Vespiliones in curandis Defunctorum corporibus arbitrarium emolumentum ne petant. Si de pauperibus sermo sit, ea stipe sint contenti, quæ a Defuncti propinquis, secundum proprias vires illis offertur, quæque tres julios non excedat. Si autem illos vexare præsumpserint, arbitrio Nostro graviter punientur, & ab officio repellentur (10).

CA-

(7) *Num. XVIII.*
(8) *Taxa fun. in Syn. Rav. Codr.*
(9) *Syn. Piac. c. 20. n. 25.*
(10) *Ibid.*

CAPUT XIX.

De Processionibus.

I. Solemnes Supplicationes, quæ toto orbe catholico non semel in anno haberi solent, satis aperte demonstrant Christifidelium pietatem, & religionem, qua Deum Omnipotentem venerantur, eumque immediate, ac interposita etiam Sanctorum, præcipue vero Dei Genitricis intercessione, exorant, ut sibi superna dona dispensentur, vel ut pro jam collatis referant grates, vel ut tutissimum implorent auxilium ad calamitates repellendas, Divinamque iram placandam.

II. In his ego sacris actionibus peragendis, ordo, & ritus Ecclesiasticus, ut exacte custodiatur volumus, ad nutum cæremoniarum Magistrorum, ceterorumque Sacerdotum, qui ad instruendas, dirigendasque Supplicationes deputari solent. Et omnes ea, qua decet modestia, & reverentia incedant, ut uberes optatos fructus pro spiritualibus, & temporalibus necessitatibus assequi possint (1).

III. Regulares omnes, etiam Monachi ad singulas solemniores, aliasque illis consuetas Supplicationes accedant, & ab iisdem servetur ordo, & solita in Civitate Nostra præcedendi inter eos consuetudo, quam etiam observatam volumus inter Sodalitates, in quibus illæ præcedant, quæ prius saccis usæ sunt, eadem ab eis servata methodo in funeribus ducendis (2).

IV. Nemo vero ex sæculari Clero a principali SSmi Corporis Christi, ceterisque solemnioribus per annum fieri solitis Supplicationibus se subtrahat sine Nostra, vel Vic. N. Gen. licentia obtenta, sub pœna trium Juliorum, quam non effugiet ille, qui Fraternitatum sacco indutus cum iisdem in Supplicationibus conjungetur (3).

V. Nolumus in his quid profanum immisceri; imo quascumque repræsentationes, vel ludrica inhibemus; Nec pueri, aut puellæ quovis ementito habitu, etiam Angelorum, introducantur (4).

VI. Nemo Clericorum, Regularium, aut Confraternitatum secum sinat promiscue incedere laicos viros, sub pœnis arbitrio Nostro

---

(1) *Syn. Rav. Codr. c.* 11. *de Supplic.*
(2) *Syn. Piaz. hoc cap.*
(3) *Ibid. ut supra*
(4) *Ibid. ut supra*

ſtro infligendis. Nemo vero, ſub pœna carceris, ad liquatam ceram colligendam funalia geſtantibus ſe adjungat. Sed omnes modeſte, & gravi greſſu incedant, & temperent a clamoribus etiam in Eccleſia, antequam Supplicatio inchoetur, ne Supremam Majeſtatem ad iram potius, quam ad clementiam provocent (5).

VII. Novimus autem cum magno animi Noſtri dolore, aliquando occaſione Rogationum, & tempore, quo Sacra Proceſſio conſiſtit in Eccleſia ad Miſſam decantandam, eveniſſe, ut aliqui juvenes, nedum ex Confraternitatibus ſaccis induti, ſed etiam non pauci ex Clericorum numero ſuperpelliceo ornati, viſi ſunt per vicos, & plateas, vel per adnexa clauſtra magno cum ſtrepitu curſitare, & vanis ſermonibus, vel ludis incumbere. Nos ergo huic malo, & ſcandalo occurrere paſtorali zelo nunc volentes, nedum Clericis hujuſmodi irreligioſum morem expreſſe inhibemus, ſub gravibus pœnis ad Noſtrum arbitrium, verum etiam Præſidentes, & Præfectos Confraternitatum iterum, atque iterum hortamur, ut in Confratres ſuos in hoc delinquentes animadvertant, eoſque corrigant, & expellant. Qui ſi Nobis denunciati fuerint, graviori modo punientur (6).

CAPUT XX.

De Sanctimonialibus.

I. SAcræ Virgines Deo ſacramento obſtrictæ caveant, ne dum perfectionis viam aggreſſæ ſunt, ad ſæcularia iterum revertantur. Eas igitur etiam, atque etiam in Domino hortamur, ut illi adhæreant, cui tamquam ſponſæ copulantur; a mundanis omnibus ſe abſtineant; colloquia inania, vanos quæſtus, & negotia vitare curent, Regulis, quibus nomen dedere, perpetuum præſtent obſequium; & abuſus eradicare omnino ſatagant.

II. Sed ne oblivioni dentur Leges a Prædeceſſore Noſtro latæ, ejus Synodi Decreta italico ſermone quolibet menſe intelligibili voce ſemel communi in menſa legantur, ut ab eo cautum fuit (1). Similiter legi volumus Encyclicam S. Congregationis in ejuſdem Synodi

(5) *Ibid. ut ſupra*
(6) *Syn. Rav. Codr. c.* 11. *n.* 10. *In App. hui. Syn. n° V.* §. abbiamo.
(1) *Syn. Piac. c.* 23. *n.* 36.

di Appen. excusam (2) semel in anno, & in Capitulo electionis Superiorissæ, etiam in Monasteriis Regularibus subjectis, sub pœnis in eadem Encyclica contentis, a contumacibus ipso facto unica tantum transgressione incurrendis, pro quibus Confessariorum etiam conscientiam oneramus.

III. At cum inanis futurus sit labor, nisi manus Legis imperio regatur, & corda mandatorum observantia magis, magisque in dies ad Deum erigantur, memores sint oportet Apostolici verborum, quod scilicet *non auditores tantum, sed factores verbi apud Deum justificabuntur*, eadem satagant perficere, quę ad ipsarum ædificationem sunt lata. Nihil enim earum instituto dignius, quam Summorum Pontificum Placita, & SS. Congregationum responsa caute custodire. Ejusmodi sunt, quæ ipsis proponuntur, nihilque arbitrarium additum fuit. Advertant item, quam maxime optamus, ne Legibus præfatis adversantes, præsertim iis, quibus Censuræ sunt adnexę, eas spernendo, Divinam provocent ultionem, & Nobis occasionem præbeant severius cum refractariis agendi (3).

IV. In agendis Festivitatibus in Ecclesiis Monialium, videant, ne potiones, & sorbitiunculæ in Sacristiis dentur, id enim quam maxime dedecet, scandalum adstantibus præbet, Sacerdotes orantes perturbat, loci sanctitati repugnat, ut dum Sacerdotes ad Divina peragenda se colligunt, vel Sacro peracto, gratias de more agunt, sermones elata voce cachinnis misceantur. Extat super id S. Congregationis Decretum, quo omnes Moniales, etiam exemptione, vel privilegio quocumque donatæ, ligantur, cui ni pareant, in pœnis Lege inflictis hæsisse declarabimus (4).

V. Puellæ ad habitum Religionis suscipiendum cooptatæ sedulo a sęculi pompis, & vanitatibus sibi temperent, illud semper præ oculis habentes, quod Deo copulandę pergratam ipsi in corde mansionem parare debent. Servetur Chirographum f. m. Clem. XIII. super deposito dotis, quod fieri debet, antequam Moniales capitulariter congregentur pro acceptatione Novitiæ, in eaque scriptum legi autenticum testimonium depositi. Ut autem fraudes. & collusiones omnino tollantur, mandamus, ne recipiantur Cedulæ depositi in Officio Nostro civili, nisi constet de numerata pecunia, numquam

(2) *Ibid. in Ap. n. 6., in hoc Ap. n.* XIX.
(3) *Ibid. per tot.*
(4) *Syn. Piaz. n.* 10., *& dict. Encicl.*

quam vero si in sacculo obsignato summa deponatur, aliter Notarium subjicimus pœnæ refundendi de proprio (5).

VI. Hæ autem, quæ educationis gratia in Monasteriis aluntur, sub Magistræ cura ad id delectæ maneant, nec privatæ Monialis regimini concredantur, privatio enim vocis activæ, & passivæ jam a Prædecessore Piazza inflicta, a Nobis etiam indicitur contra hanc legem peccantibus. Neque hujusmodi Puellæ ab aliis Monialibus in proprias cellas ad obsequia eis præstanda pertrahi possint, nisi facta ipsis a Superiorissa facultate. Item modestis, & omnino uniformibus vestibus utantur subobscuri coloris, nihilve quod vanitatem redoleat admittant (6).

VII. Regulares semel ad Monialium confessiones excipiendas adprobati, etiam in Monasteriis eisdem subjectis, non valeant alio tempore munus hoc exercere, nisi a Nobis, vel Vic. N. Gen. iterum obtenta facultate (7).

VIII. Confessarii Monialium electam portionem Gregis Christi sedula cura pabulo sanæ doctrinæ nutriant, ut nihil in moribus ab earum instituto alienum admittant, nihil contra Ecclesiasticas Leges, & Synodicas sanctiones peccare sinant, & siquid deprehenderint regulis minus consonum, statim correctione opportuna emendare studeant. Pœnitentiæ Sacramentum extra confessionalem sedem ne ministrent, nec spirituales collationes cum iisdem habeant. Neque hoc agant ante Solis ortum, vel post illius occasum (8).

IX. Neque audeant munera, licet modici momenti, a Monialibus, etiam Monasterii nomine recipere, sed solis consuetis stipendiis a Nobis adprobatis sint contenti. Monialibus pariter sub S. Obedientiæ præcepto inhibemus quorumcunque etiam parvorum munerum missionem Confessariis sive ordinariis, sive extraordinariis. Inobedientes autem gravibus puniemus pœnis (9).

X. Persuasum vero jam Nobis est, Sanctimoniales optime nosse præstantissimum Paupertatis religiosæ præsidium in vita communi positum esse, juxta Tridentini doctrinam, utpote quæ omnis proprietatis periculi est expers. Hinc eas, quibus hoc beneficium

G non-

---

(5) *Ead. Encycl. in Ap.*
(6) *Syn. Piaz. eod. cap n. 34.*
(7) *Ibid. n. 33.*
(8) *Ibid. n. 31*
(9) *Ibid. n. 32.*

nondum a Deo concessum est, hortari non dubitamus, ut illud assiduis precibus ab ejus Bonitate efflagitare non cessent. Interim tamen istæ, quæ in majori violandæ paupertatis periculo sunt constitutæ, vigilare summopere debent, ne terrena substantia illectæ, a cœlestibus regnis, & divitiis arceantur (10).

XI. Hoc Deo favente non continget, si tum omnium rerum dominium, tum etiam usum a Superiorum voluntate non pendentem Monialibus interdictum & sciant, & abominentur. Caveant ergo, ne quidquam sine Superiorum facultate aquirant, vel ex Monasterii rebus sibi vindicando, vel ob exteris, etiam consanguineis, sive dono, sive alia ratione, aut contractu aquirendo, & ne quidquam sine eadem facultate, aut ex rebus Monasterii, aut ex iis, quæ ipsis ad usum concessæ sunt, alienent (11).

XII. Ad paupertatis Votum sic observandum, & ad omnem religiosam perfectionem actu exercendam, plurimum, ne dicam unice, confert Meditationis, sive mentalis Orationis quotidiana exercitatio, juxta Regulam cujusque Instituti; quam in rem, si totum studium, atque attentionem Sponsæ Christi contulerint, presertim in Choro horis præscriptis, nova in dies religiosarum virtutum incrementa in se ipsis reperient, ac mirabuntur, & propria experientia verum esse fatebuntur illud Prophetæ: In meditatione mea exardescet ignis (12).

XIII. Personati homines, aut Fœminæ, vel etiam larva deposita, ementito tamen habitu induti, nullo modo ad Monialium Colloquutoria accedant, sub carceris pœna vilibus irroganda, & Scutorum vigintiquinque superioris ordinis hominibus infligenda (13).

XIV. Nulla demum Nobis inconsultis Abbatissarum, seu Præfectarum electio fiat in Monasteriis, etiam Regularibus subjectis, sed Nobis præfinita dies denuncietur; volumus enim juxta Constit. 18. Greg. XV. hujusmodi electionibus una cum suis Regularibus Prælatis, vel per Nos, vel per alium semper interesse, & præsidere (14).

CA-

(10) *Syn. Cesen. Card. Denhof. lib. 3. c. 7., Syn. Rav. Cant. par. 3. c. 14.*
(11) *Syn. Rav. Cant. ut supra*
(12) *Episc. Agufelli in Addit., & notis ad Syn. Denoff. n. 13.*
(13) *Syn. Piaz. c. 23. n. 8.*
(14) *Ben. XIV. de Syn. Diœc. lib. 5. c. 12. n. 4.*

CAPUT XXI.

De Fraternitatibus Laicorum, & Locis Piis.

I. UBi erunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum dicit Dominus (1). Si autem jurgiis, & contentionibus inter ſe Societatum Confratres pugnaverint, procul ab eorum conventu erit Spiritus Domini. Caveant igitur, ne diſſidia inter eos excitentur, quæ Chriſtianos dedecent, & eo magis eos, a quibus pari concordia Deus laudari debet in Hymnis, & Canticis ſpiritualibus.

II. Qui turbas in Societate ſuſcitabit, re ad Nos delata, & prævia Parochi monitione, ſi non reſipiſcat, a Fratrum catalogo omnino expungetur. Contra contumaciores vero, vel eos, qui graviter in alios peccabunt, acriori animadverſione utemur.

III. Si quis Prior, vel Officialis quicumque propoſitiones Societatis bono, vel Superiorum Decretis adverſantes facere præſumpſerit, extemplo officio ſuo privatus cenſeatur, abſque ulla monitione, vel declaratione, & debeant Confratres alium in ejus locum illico ſufficere, illumque ſic officio expunctum, per annum etiam voce activa, & paſſiva privatum renunciamus. Eamdem pœnam pariter incurrant omnes, quos eidem adhærere compertum eſt. Confratrum autem in Nos fidentium, opemque Noſtram implorantium precibus inclinati, Noſtra auctoritate malis ingruentibus occurremus (2).

IV. Expenſæ extraordinariæ, quæ ſummam aureorum trium excedat, numquam fiant inconſultis Confratribus, a quibus per ſecreta ſuffragia conſenſus præſtari debebit, & accedente inſuper Noſtra, vel Vic. N. Gen. facultate. Si ſecus actum fuerit, Officiales de proprio ſolvere teneantur (3).

V. Non eligantur in Priores, & Officiales ii, de quorum idoneitate contrarium habetur teſtimonium, vel qui graves patiuntur exceptiones. Qui id egerint, privabuntur ea vice jure eligendi, quod Nos tali occaſione arbitrio noſtro reſervamus (4).

(1) *Matth.* 18. 20.

(2) *Monac. Tom.* 1. *Form.* 11. *tit.* 6.

(3) *Cong. Ep. r & Reg. ex Lit. Ep. Ferent.* 24. *Maii* 1761. *rel. a Syn. Spinucci Macer., & Tol.*

(4) *S. C. Conc. in Aſcul.* 24. *Marh.* 1725., *Lamb. Inſtit.* 105. *n.* 99.; *Conc. C. Prov. Mediol.* §. Liberatio

VI. Neque perpetui sint Officiales, sed isti quocumque nomine nuncupentur, ultra triennium munus suum absque Nostra peculiari facultate exercere non possint. Hujusmodi vero nova facultas denegabitur, si duæ ex tribus partibus suffragiorum id non postulaverint, & Officiales confirmandi in eodem munere, rationem ministrationis suæ reddiderint, ac reliquatum persolverint, Ceterum rationum redditio singulis saltem trienniis expleatur. Integrum tamen Nobis erit, illam pro libito Nostro exigere, nullaque omnino censeri debeat, nisi prius a Nobis fuerit adprobata (5).

VII. Ministratores, & Officiales prædicti, postquam munus suum deposuerint, infra bimestre computa exhibeant, ac successoribus, ut necessitatibus occurrere possint, partem aliquam pecuniarum tribuant. Sententia vero lata, reliquam pecuniæ summam successoribus in administratione integre persolvant. Reluctantes autem quotidianis gravatoriis mediantibus persolvere cogantur (6).

VIII. Ecclesiarum, Locorumque Piorum bona injuste occupantes, & illiciti detentores, vel etiam impedientes, ne fructus, & emolumenta illis spectantia libere solvantur, sciant excommunicationi latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ obnoxios esse. Clerici autem hac labe polluti meminerint eos a S. Conc. Trid. Beneficiis omnibus privari, ad alia assequenda inhabiles reddi, & suspendendos esse etiam post integram satisfactionem, & obtenta absolutione non obstante, ab exequutione suorum Ordinum arbitrio Ordinarii (7).

IX. Alienationes Bonorum Ecclesiæ, quæ nummum quadragesimum excedunt, fieri prohibentur absque Beneplacito Apostolico. Qui majorem summam dividet, ut ab Ordinario pluribus vicibus facultatem alienandi obtinere possit, iisdem pœnis est obnoxius (8).

X. In locationibus, vel emptionibus bonorum ad Loca Pia spectantium omnino instrumentum publicum infra octo dierum spatium a deliberatione peracta exponatur, non omissa in Locationibus Fidejussione, qua non interveniente, nullus contractus renunciabitur, & administri omnia damna præstabunt (9). In prædictis locationi-

(5) *Syn. Piaz. c.* 24. *n.* 3.

(6) *Ibid. n.* 4.

(7) *Cap.* Nulli liceat *reb. Eccles. non alien.*, *Conc. Trid. sess.* 22. *c.* 11. *de Ref.*, *Bull. Cœnæ*.

(8) *Monac. Tom.* 2. *tit.* 14. *Form.* 10. *n.* 3., *Anton. de reb. eccl. non alien. c.* 8. *n.* 5.

(9) *Syn. Piaz. c.* 2. *n.* 11.

tionibus ſervetur omnino motus proprius ſ. m. Bened. XIV. juxta Inſtitutionem S. C. Ep., & Reg. in Epiſt. ad Vic. Capitol. Forol., quam in Append. dabimus (10).

XI. Sepulcra in Eccleſiis Societatum non effodiantur, Nobis inconſultis. Cum autem id fieri contigerit, nullum præjudicium juribus parochialibus inferri volumus, integrum enim erit Parocho parentalia facere ſuper Cadaver, cui emolumentum præſcriptum debetur (11).

XII. Pluribus Societatibus quemquam nomen dare non poſſe a Lege cautum fuit (12). Ibi habetur, quod ſi Epiſcopus reperiat aliquem duabus, vel pluribus Societatibus adſcriptum, eum cogere poterit ad declarandum, cui ex iis nomen dare voluerit, & a ceteris removebit. Spatium igitur unius menſis adſignamus iis, qui duabus Societatibus inveniuntur adſcripti, quo elapſo, niſi elegerint in qua manere voluerint, Nos e Catalogo unius, vel alterius pro libito Noſtro eos expungemus.

XIII. Id omne, quod abſque Parochi, vel alterius a Nobis deputati præſentia a Societate quacumque, etiam in Eccleſiis Regularium erecta, geſtum fuerit, nullum renunciamus, etiamſi requiſitus noluerit intervenire. Tunc enim res ad Nos deferenda erit, ut auditis partibus, quod juſtum fuerit decernamus (13).

CAPUT XXII.

De Monte Pietatis, Hoſpitalibus, Noſocomio, & Societate Charitatis.

I. PAtrimonia pauperum, & pretium peccatorum vocantur Eccleſiarum, Piorumque Locorum bona. Qui ergo ea adminiſtrat in S. Pietatis Æde, in Hoſpitalibus, & pro quacumque alia pia cauſa, ab omni fraude temperet, integre res illi creditas cuſtodiat, & in uſus, quibus fuerunt addicta, eas erogare ſatagat.

II. Accepti, & expenſi quolibet anno rationem ponat coram Revi-

(10) *N. XX.*

(11) *In Appen. n. 17. 18. Inſt. 105. n. 129., & ſeq.*

(12) *L. Mandatis de Coll., & Corp. illicitis*

(13) *Syn. Piaz. c. 24., quod cavet. etiam a S. C. Conc. in Melit. ad 1. dub. 15. Jul. 1747., Lamb. loc. cit.*

Reviſoribus Locorum Piorum a Nobis deſignatis; ſic enim debitæ adminiſtrationis integritati facilius occurremus, & damna vel nulla, vel raro ipſis evenient (1). Cum vero in ſecundo anno quis debitor inventus fuerit, & quod reliquum fuerit in primo anno non perſolverit, inhabilis renunciatur, qui Officium continuet, & pœnis canonicis ſubjicietur.

III. Id omnino, & indiſtincte ab omnibus ſervari mandamus, etiam ab eis, quos talis conſuetudo numquam adſtrinxit. Cum enim hæc ſit contra Legem, corruptela potius eſt dicenda. Nec alicujus peculiaris ſtatuti ſe tueantur præſidio, Nos enim auctoritatem habemus illud interpretandi, ac etiam abrogandi in ea parte, in qua juri communi opponitur. Regulas igitur proprias infra menſem a publicatione hujus Synodi exhibeant, ut vel Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inhærendo, eas confirmemus, vel pro temporis opportunitate corrigamus.

IV. Expenſæ ab omnibus adminiſtris non arbitrarie, vel ultra vires fiat, ſed ita moderentur, ut æs alienum non contrahatur. Tunc enim diſſipatio eſſet dicenda, non diſpenſatio. Quoties igitur extraordinaria pecuniæ erogatio facienda eſt, Nobis inconſultis nullus adminiſter propria auctoritate id præſtet, ſed ad Nos rem deferat, ut probata cauſa, quod æquum erit ſtatuamus, aliter & damna præſtabit, & pœnis arbitrio Noſtro ſubjicietur (2).

V. Item cum a Nobis admittatur Concil. Rom. præſcriptum, volumus, ut Inventarium mobilium, & immobilium, creditorum, actionum, jurium, & onerum ab illis, a quibus hucuſque datum non fuit a triennio citra, infra duos menſes in Noſtra Cancellaria exhibeatur (3).

VI. In elargiendis eleemoſynis Officiales Societatis Charitatis veram indigentiam præ oculis habeant, non arbitrium. Id autem cavendum eſt, ut veri pauperes alimenta conſequantur, modum etiam in illorum quantitate ſervando, ne dum uni plus æquo tribuitur, alii, ut plurimum pari inopia laborantes, prætereantur, ac vitia foveantur, non ſublevetur egeſtas. Illos vero, quos teſtimonio Paro-

(1) *Trid. Seſſ. 22. de Ref. contra Off., alioſq. miniſt. Mont. piet., qui utunt. pec. in dict. Mont. dep. pro eor. ſerv., aut dant aliis mutuo Excom. Pap. reſerv. in ſua Conſt.* Oneroſo Paſtor 1615.

(2) *S. C. Ep., & Reg. in Lit. ad Ep. Ferent. 24. Martii 1761.*

(3) *Con. Rom. tit. 12. c. 1. ut in Ap. hui. Syn. n. XXI.*

Parochi non munitos invenerit, non tam ſuper inopia, quam ſuper ſcientia Doctrinæ Chriſtianæ, a ſubſidiis obtinendis omnino repellant.

VII. Regulas hujus Sodalitatis infra duos menſes Nobis exhibeant Officiales, ut cognoſcamus, an quæ in illis mandantur, ſedulo ſerventur, & ut Noſtra accedere poſſit adprobatio, vel moderamen pro temporum opportunitate.

CAPUT XXIII.

De Domibus Puerorum, & Puellarum.

I. GRata admodum, & Deo accepta eſt inſtitutio Domorum, in quibus Puellæ, & Pueri, qui Parentibus, ut plurimum, orbati, & humana ope deſtituti, maximaque imo inopia preſſi excipiuntur cuſtodiendi, ut in temporali eorum egeſtate ſubveniantur, & ut recta vitæ diſciplina, & chriſtianis moribus, ut par eſt informentur.

II. Duo hujuſmodi domicilia in hac Civitate Noſtra laudantur tam pro Pueris, quam pro Puellis Orphanis, & Mendicantibus. Iis autem juriſdictioni Noſtræ omnimodam ſubjectionem indicimus. Singulis hiſce jam a Prædeceſſoribus Noſtris Regulæ, & Conſtitutiones inſtitutæ fuerunt, & has omnimode obſervari, & compleri volumus, & jubemus. Neque umquam alicui liceat aliquid immutare, vel moderari. Hoc enim Nobis tantum pro temporum opportunitate reſervamus.

III. Nullus impoſterum in Orphanotrophiis, & in domibus mendicantium tam marium, quam fœminarum recipiatur, niſi ſervatis omnibus, quæ in ſingulorum quorumcumque locorum Regulis continentur (1). Volumus iniuper ut omnes admittendi atteſtationem non tantum Parochi quoad mores, quantum etiam Phyſici quoad bonam valetudinem exhibeant. Quamvis vero hæc omnia ab eorum, qui præſunt ſtudio, fide, & religione adimpletum iri ſperare poſſe exiſtimemus, Nobis tamen integram reſervamus poteſtatem expellendi Pueros illos, vel Puellas, ſi quas noverimus admiſſas in hujuſmodi domibus contra id, quod in Noſtra hac Synodo, & in locorum ſtatutis præſcribitur.

IV. Si vero Puer aliquis, aut Puella, cauſa a Nobis adprobata, cuſtodiæ gratia, vel ſupra numerum erit admittenda, ad tempus.

(1) *Reg. pro Mendic. R. P. D. Bizarri.*

pus tantum id fieri permittetur, & facta obligatione persolvendi solita alimenta, & cetera omnia de more statuta, & sine spe occupandi locum aliquem vacaturum.

V. Cum Præfectas, vel Magistras in prædictis domibus novas eligi contigerit, Nobis eas ante institutionem presentare non graventur Electores, ut Nostra accedere possit adprobatio. Nostrum enim est inquirere an bonis moribus sint præditæ eæ, quæ Puellis in Conservatoriis degentibus præficiuntur. Et idem edicimus de aliis quibuscumque Officialibus, vel inservientibus quarumcumque Domorum tam masculorum, qua mulierum.

VI. Ne a memoria excidant Regulæ, quæ pro bono earum domorum regimine jam sunt constitutæ, mandamus, ut tempore communis Mensæ, quolibet mense caput aliquod dictarum Regularum legatur sub pœna ad arbitrium Nostrum solvenda a Præfecta loci ejusdem.

VII. Insuper diebus profestis numquam in apertum prodeant Puellę, nisi causa a Nobis cognita, & probata. Diebus festis vero, cum ad Ecclesias exteriores se contulerint, frequentiam Populi omni studio vitent, modeste incedant, non cum hominibus colloquia miscentes, sed ita se gerant, ut ædificationem, non offendiculum præbeant (2).

VIII. Præfectos prædictorum Locorum Piorum, quantum possumus hortamur, ut sedula cura, & vigilantia sibi subditas Puellas in Dei timore, & bonis moribus instruant. Homines intra earum septa quovis prætextu non recipiant pręter eos, quos necessitas postulare videbitur, & admissos justa de causa numquam sinant cum Puellis loqui, neve ubi degunt introduci, nisi ipsis, vel Magistra præsentibus, & petita venia a Nobis, dummodo tamen de proximioribus consanguineis non agatur. Nocturno vero tempore nemini extra necessitatis casum janua pateat, quæ jugiter interius erit clausa. Exterior autem post vespertinum signum Salutationis Angelicæ semper claudatur. Contra peccantes pœnam expulsionis ab officio ipso facto incurrendam statuimus.

IX. Viros tandem Nobiles illis, quibus Locorum Piorum prædictorum administratio, seu gubernatio demandata est, vehementer in Domino hortamur, ut pauperum Patrimonia eo, quo par est, religioso affectu respicientes, & erga Christi Parvulos misericordia indu-

(2) *Ibid.*

induti, nedum suorum munerum partibus respondere curent, sed quoscumque etiam Officiales, & Ministros semper excitent, ut suo quisque officio persungatur.

CAPUT XXIV.

De Usuris, & Contractibus illicitis.

I. AUri sacra fames, quæ nostris hisce temporibus cum Animarum jactura ubique grassatur, ne Christifideles in Nostra Diœcesi impia contagione fœdare contingat, quisque studeat contractus illicitos, & usurarios ab se eliminare, ne dum aliena appetit, thesaurizet sibi iram in die retributionis. Usuræ enim ab omnibus prohibentur Legibus, Conciliis, & Patribus, quibus Apostolicę Romanę Ecclesię judicium accedit (1). Nosque eas iterum damnamus, pœnas renovantes a S. Canonibus contra Usurarios, eorumque fautores, & usuræ disseminatores alias latas (2).

II. In Cambiis fraus quamplurimum intervenit, vel in localibus, quando vera non fit pecuniæ translatio, quod Cambium fictum, vel siccum vocatur, vel in obliquis, in quibus nulla habetur negotiatio pecunię mutuę, quamvis litterę expediantur, & mutuatarius in se onus hoc suscipiat. In primis vera latet usura, quæ hominum, sed non Dei judicium effugere potest (3). In secundis item facile est suspicari ambagibus usuram palliari, *quæ nihilominus non satis occultatur, & magis adhuc aperte se prodit, cum contractus secundo ex recensitis modis initur:* sunt verba Ben. XIV. (4), qui hic loquitur de mutuo accepto ab aliquo cum onere in se suscepto cambiis pecuniam mutuatam negotiandi. *Quid enim absurdius, quam quod Titius indigens mille aureis, quos mutuos accipit a Cajo, totidem statim habeat paratos ad Nundinas trasmittendos, atque in activa cambia erogandos in mutuantis Caji utilitatem?* Cum igitur pecunia neque a mutuante, neque a mutuatario fuerit in cambia activa realiter erogata, minime dubitandum est, cambium esse illicitum, turpe, & usurarium

H

(1) *Ben. XIV. Doctrin. relat. in Appen. Syn. Piaz.*
(2) *Syn. Piaz. in hoc Cap.*
(3) *Ben. XIV. de Syn. Diœc. lib. 10. c. 5. n. 7. 8.*
(4) *Loco cit. n. 9. 10.*
(5) *Ibid. n. 10.*

rium, ac propterea a Christiana Republica prorsus eliminandum (5). Nos igitur oves Nostræ curæ concreditas, quam plurimum in Domino cohortamur, ut a prędictis contractibus se temperent, ne modicum temporale lucrum, quod sectantur, in Animę perniciem vertatur. Nec aliquis securius in prava sua opinione confidat, eo quia in foro externo datur actio contra debitores pro usuris similium cambiorum, nam quidquid sit de foro externo, in quo fortasse ita res gesta pręsumitur, sicuti in contractus stipulatione describitur, in foro tamen interno, ubi sola spectatur veritas, si pecunia accepta mutuo respondens, neque a mutuante, neque a mutuatario, juxta dictas diversas pactiones, fuerit ad Nundinas transmissa, seu in cambia activa erogata, nec umquam in alterius animo fuit, eam ad Nundinas transmittere, seu in cambia activa erogare, minime dubitandum est Cambium esse illicitum, turpe, & usurarium; ac propterea e Christiana Republica prorsus eliminandum. Ita clare, & aperte docet laudatus Pontifex loco citato.

III. Cambia vero, quę fraudulenter celebrantur cum interventu generum, ultra aliquam pecunię summam, omnino reprobamus. Ad eludendum enim Legis rigorem, solent aliqui apocham conficere, ut in cambiis obliquis, in qua sola apparet pecunia numerata, cum ita verum non sit, sed genus aliquod intersit, & tamen auctarium petere audent, illicite id fieri nemo non videt, fructus enim paciscuntur in cambio obliquo, & ulterius ex genere, non ex pecunia tantum retrahuntur. Quid dicendum si fructus ipsi, ultra id, quod æquum alias esset, augeantur, commodum ex alterius necessitate comparando?

IV. Sed ulterius progreditur aliquorum malitia. Ii Legis Divinæ, & humanæ immemores, diabolicum ferme contrahendi modum excogitantes, rei ęstimationem æquo majorem adaugent, & pecuniam actu numeratam repetere audent post initum contractum, vel in totum, vel in partem, ad quod præstandum per apocham privatam coram duobus vallatam, mutuatarium coegerunt. Id vero, ne maximo animi Nostri mœrore aliquando in Nostra Civitate contingat, & ut perditos homines, si qui sunt, ab usurę labe expurgatos ad Legis censuram revocemus, talia damnantes, pœnas aureorum decem in Notarios, & Proxenetas edicimus, aliasque graviores arbitrio Nostro, si apochas confecerint, vel contractus præfatos auserint componere. Contra mutuantes vero, cum rei interventio, vel auctarii, aut pretii injusti augmentum probabitur, fructuum tam

solu-

solutorum, quam solvendorum amissionem statuimus; ultra multam aureorum quinquaginta Piis Locis applicandorum.

V. Pari modo omni solertia procedemus contra admittentes contractum *Mobatra* quem vocant, quo alicui venditur species aliqua summo pretio, & ab emptore ipsi venditori infimo, seu viliori rursus venditur. Testes ipsos, cum intervenerint, tam in hoc, quam in casibus supraexpressis, pro libito Nostro pœnis subdemus etiam corporalibus, si non semel deliquisse constabit. Ad hanc pestem evellendam ea, qua possumus efficacia Parochos obtestamur, ut sæpe sæpius contra hæc facinora Populo verba faciant. Confessarios item monemus, & in Domino cohortamur, ut pœnitentes sedulo interrogent, de recta contrahendi ratione, eamque insinuent juxta monita, & doctrinam a laudato Pontifice traditam, nec non ab aliis Pontificibus antea probe firmatam (6).

VI. *Mutuum date nihil inde sperantes*, nam nihil nequius fœneratoribus, *qui aliena damna lucra sua arbitrantur*, juxta Divum Ambrosium (7). Sciant igitur Christifideles, quod omne lucrum ex mutuo, ratione mutui illicitum, & usurarium esse, quamvis exiguum. Id procedit, etiamsi dives sit ille, a quo exigitur, & pecuniam non fuisset quis otiosam relicturus, ac mutuans se obligaret ad non repetendam summam mutuatam usque ad certum tempus (8), nec ei faciet, quod pecunia numerata sit pretiosior numeranda (9), nec quod id quod exigitur ex sola benevolentia non justitia præstatur (10).

VII. Si autem titulus aliquis extrinsecus mutuo adsit, tunc moderatum auctarium, ratione illius quod interest, & titulo probato non supposito, licet recipere. Falsum est titulum hunc semper reperiri, ut ait laudatus Pontifex Ben. XIV., idcirco cavendum est, ne quis sibi laqueum paret, illum ubique inducendo, atque usuras sub alieni contractus specie palliando (11).

VIII. Clericis vero, & Sacerdotibus palam edicimus, negotiationem proprie talem, quantumvis in se licitam, & laicis permissam, illis esse interdictam, etiam per alios, vel per interpositas Personas

H 2 exer-

---

(6) *Xist. V. Const.* Detestabilis. *S. Pius V. Lit. incip.* In eam.
(7) *Lib. de Tobia c. 6.*
(8) *Prop. 42. damn. ab Alex. VII.*
(9) *Prop. 41. damn. ab. Inn. XI.*
(10) *Prop. 42. ab eod. damn.*
(11) *De Syn. Diœc. loco cit. n. 10.*

exercendam (12). Si de licitis hæc differuntur, quid de illicitis dicendum? Cambia activa Clericis esse prohibita, nullus ambigere potest, post Legem a Ben. XIV. apertissimis verbis latam (13). Ipse enim Pontifex in suo opere præclarissimo de Syn. Diœc. ait : *Quo circa, cum controversia Apostolicæ Sedis judicio dirempta sit, tuto poterunt Episcopi idipsum in suis Synodis iterum decernere, & Clericos per interpositam personam Cambia activa contrahere præsumentes ad Sacrorum Canonum normam punire*. Si quos ergo inveniemus talibus negotiis implicatos, iisdem pœnis alias latis omnino subjiciemus (14). Ut autem facilius fraudes appareant, & delicta hujusmodi detegantur, per inquisitionem imposterum procedendum esse indicimus, tam contra Clericos, quam contra laicos, illicita in hoc genere admittentes. Pro viribus enim contra usurarios, vel usuræ suspectos, eorumque fautores pugnabimus, præter pœnas indicatas, etiam infamiæ nota, inhabilitatis ad Beneficia Ecclesiastica consequenda, & ad testamentum condendum, suspensione in Clericos, ac excommunicatione in Laicos indicta, si male ablata retinere præsumpserint.

CAPUT XXV.

De Librorum impressione.

I. QUantum sit Nostris hisce temporibus dolendum pro venefica doctrina, sub verborum fuco, & subdolis argumentis a malis, & perditis hominibus longe, lateque diffusa, nemo est, qui catholicæ veritati adhærens non videat. Insurrexere principis tenebrarum ministri, qui prurientes auribus a veritate homines avertunt, & ad maledicta convertunt. Hi in Mysteria, in Revelationes, in Ecclesiæ Dogmata, & Disciplinam irrisiones, dubia, satyrica, & injuriosa verba jactare non desinunt. Eorum lenocinium in scribendo animas mulcet, allicitque ad venenata scripta perlegenda; & dum aures, mensque venustate sermonis recreantur, cor sauciatur, animusque a Patrum religione avocatur.

II. Contra hanc teterrimam luem quisque clypeo Fidei se commu-

(12) *Ibid. lib. 10. cap. 7. n. 1. 3. 4. 5.*

(13) *Const. 25. Febr. 1741. cit. in Syn. Piaz. cap. 10. n. 3. In hoc App. n. XXII.*

(14) *Syn. Piaz. c. 27. n. 1.*

muniat. Nos autem, quibus depositum Fidei a Deo, & Ecclesia fuit peculialiter commendatum, pro viribus contra Novatorum conatus obsistentes, aliosque confirmantes, omnes monitos volumus, ut caute ambulent, ne in opprobrium, & in laqueum incidant diaboli. Libros erroribus refertos nemo legere præsumat, districtum enim Ecclesiæ gladium non effugiet, & lethali culpæ reatum incurret.

III. Quibus autem facultas data fuit Libros a Suprema Inquisitione proscriptos legendi, mandamus, ne copiam eorum aliis faciant, non commodent, non vendant, non permutent, neve negligenter custodiant, ut ab aliis legi possint, sub pœnis a S. Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus latis.

IV. Bibliopolis prohibemus Librorum proscriptorum venditionem, nisi Nostra, vel Vic. N. Gen. facultas accedat. Volumus etiam, ut infra mensem notulam prædictorum Librorum in eorum apotheca existentium Nobis exhibeant, eosque sub custodia semper servent, ut a nemine videri, vel legi possint. Si aliquis autem hujusmodi libros emere voluerit, numquam ei vendantur, nisi eidem Bibliopolæ constet de facultate legitima eos legendi, & retinendi. Qui secus egerit, pœnam Scutorum decem pro qualibet vice dabit, & quocumque opportuno legali remedio utemur, ad fraudes eliminandas.

V. Præcipimus ulterius, ut indicem Librorum proscriptorum apud se jugiter omnibus conspicuum retineant Bibliopolæ ipsi sub eadem pœna, in quo non desiderentur Librorum nomina, qui in dies proscribuntur.

VI. Librorum Editores nihil prælo excudi ab iis posse sciant, quin Nostra, vel Vic. N. Gen. facultas in scriptis danda accedat, sub pœna aureorum viginti, & quacumque alia arbitraria. Item cum evenerit, ut a Nobis aliquid reprobetur, vel corrigatur, exemplar in correctionis documentum typis excusum, sub eadem arbitraria pœna, exhiberi mandamus.

CAPUT XXVI.

De Blasphemis, & Hæreticis, vel de Hæresi suspectis.

I. QUorumdam perditorum hominum impietas eousque prolabitur, ut ponentes in Cœlum os suum, non modo Sanctos, & Deiparam Virginem, sed Deum quoque ipsum conviciis appetere, ac

SSmum ejus Nomen contumeliose afficere non vereantur. Eorum immane facinus, ac non ferendam procacitatem, ut quantum in Nobis est, cohibeamus, Parochos, Concionatores, & Confessarios in Domino hortamur, ut sacro fœdere inito in Blasphemos acriter insurgant, eos increpando, objurgando, ab absolutione repellendo, donec extremæ eorum audaciæ frænum injecerint, eosque a nefaria consuetudine deterruerint. Parentes blasphemantes Filios asperrime corripiant: Domini servos: Opifices ministros suos, si quos eodem vitio teneri senserint, a sacrilega lingua temperare jubeant; ac si moniti non resipiscant, eos e domo, atque officina abjiciant.

II. Quisquis vero Blasphemiam hereticam audierit, meminerit se teneri, vel Episcopali Nostro, vel Sanctæ Inquisitionis Tribunali intra dies duodecim blasphemantem deferre, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, a qua non ante absolvi poterit, quam delinquentem rite denunciaverit (1).

III. Ne autem in tam magno negotio aliquis immerito Fratri suo blasphemiæ notam inurat, explicare opere pretium est hæreticalis blasphemiæ characterem, pro qua urget præceptum denunciationis, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, quę tolli per absolutionem non potest, nisi sequuta Denunciatione. Quæ obligatio afficit, etiam quoad suspectos tantum de hæresi sub gravi, quamvis probari non possit, vel si sub naturali sigillo quis hæreticum noverit (2).

IV. Hinc distinguere oportet Blasphemiam simplicem, quá convicium absque errore contra Fidem profertur, ab hæreticali, quæ involvit errorem contra Fidem. Et hæc triplici modo habetur, vel negando id, quod unice Deo competit, vel illi tribuendo, quod ipsi non convenit, vel quod soli Deo convenire potest creaturis asserendo. Subdistinguendum pariter venit, si blasphemia hæreticalis nullo pacto sermone, scripto, vel facto externata fuerit, sed mere interna remanserit; & hæc a quocumque Confessario absolvi potest. Si vero externa sit, quamvis occulta, quia nullo audiente fuerit sermone, nutu, vel scripto, quo error ipse significaretur, externe prolata, vel indicata, tunc non potest absolvi, sed est casus in Bulla cœnæ comprehensus (3). Idem dicetur de hæresi tam circa divisionem in internam, & externam, quam ejusdem absolutionem, & obli-

(1) *Syn. Rav. Codr. p. 3. n. 19.*, *Edict. S. Inquis.*
(2) *Prop. 5. damn. ab Alex. VII.*, & *in ejusd. Pont. Bulla* Licet alias.
(3) *Honorant. Prax. Trib. Vic. de Urbe c. 27. §. 10.*

obligationem ad denunciandum in eo, qui aliquem tali errore fœdatum noverit. Tempore jubilæi, nisi explicite facultas in Litteris concedatur absolvendi ab hæresi, nemo poterit hæc facinora relaxare.

V. Cum autem reus de interna tantum hæresi fuerit absolvendus, etiamsi a Fide non apostataverit, præmittenda est abjuratio erroris in ipsa confessione facienda, cum dolore, & proposito de non reincidendo, injuncta salutari pœnitentia pro modo culpæ (4).

CAPUT XXVII.

De Sacris Collationibus.

I. AD Moralis Theologiæ scientiam comparandam, quæ Ecclesiasticis adeo necessaria est, plurimum conferunt Congregationes, seu Conferentiæ, ad Theologiæ moralis quæstiones aliquas discutiendas, quæ singulis annis in fine Kalendarii a Theologo Nostro solent apponi. Volumus autem, ut hujusmodi Cœtus, singulis mensibus, Julio, Augusto, Septembri, & Octobri exceptis, in aula Palatii Nostri Episcopalis coram Nobis, vel Vic. N. Gen. habeantur. Et ad eosdem convenire jubemus in Civitate, non tantum Parochos, sed & Confessarios omnes, etiam si sint Canonici, Pœnitentiario præsertim comprehenso (1), sub arbitraria multa. Quos autem ex Confessoribus desides imposterum inveniemus, ab audiendis confessionibus repellemus, cum ad Nos pro confirmatione litterarum patentalium accedent (2).

II. Vicarii Foranei in Diœcesi, ut idem observetur, summa diligentia curent, ut scilicet Collationes pro singulis casibus in Kalendario expositis convocentur, mensibus tamen minus incommodis, in quibus nec hyemis, nec viarum incommoda adduci possint pro impedimento. Qui vero a prædictis Congregationibus in Diœcesi abfuerit falsis prætextibus; & nullam absentiæ suæ excusationem a Nobis adprobandam afferentes, sciant, se gravibus pœnis ob tantam inobedientiæ culpam esse subjiciendos. *Deus bone!* Sic exclamat Lambertinus (3). *Adeone arduum, ac difficile videtur Theologiæ moralis quæstiones coacto Cœtu pertractare, ea conditione pariter addicta, ut illis*

(4) *Ibid.* §. 11.
(1) *Syn. Piaz. c. 28. n. 1.*
(2) *Conc. Rom, Encycl. in Ap. Syn. Piaz.*
(3) *Inst. 102. n. 4.*

illis mensibus, qui minus incommodi afferant, iidem cœtus indicantur, modo tamen anno peracto omnes præscripti conventus habiti fuerint?

III. Sacerdotes vero non Confessarios, Clericosque ceteros monemus, atque hortamur, ut collationibus prædictis intersint, a Beneficiorum assecutione, & a superioribus Ordinibus repellendi, si se ab illis subtraxerint (4).

IV. A sacris Collationibus optamus non abesse Confessarios Regulares, quoties in eorum Cœnobiis casuum moralium discussio non fiat. Nam si compertum habebimus eos negligere morales suas lectiones in claustris, & Congregationes in Nostro Episcopio, a confessionibus audiendis suspendemus (5).

V. Volumus præterea, ut Resolutiones suas singuli, qui Conferentiis in Diœcesi intersunt, manu propria scriptas, & subsignatas, Vicariis Foraneis consignent, quas deinde Vicarii prædicti transmittere quamprimum teneantur Cancellario Nostro. Nosque postea omnia perpendemus, ut de singulorum in studiis diligentia, & progressu experimentum sumamus.

CAPUT XXVIII.

De Vicariis Foraneis.

I. VIcarii Foranei munus exercentes Nostrum in Diœcesi occupant locum, Nosque repræsentant. Oculi eorum aperti, auresque semper erectæ ad videnda, & audienda, quæ ad eorum munus spectant, itaut quos desides invenient Parochos, Sacerdotes, & Laicos, paterna possint charitate ad rectam viam vocare. Qui si nihil profecerint, ad Nos, vel Vic. N. Gen. rem extemplo deferant. Videant igitur, ne nimia indulgentia, & socordia alienis culpis participent.

II. Ad illos spectat verbo, & exemplo aliis præire. Parochorum solertiam, cum opus fuerit excitare non detrectent. Sacræ Visitationis Decreta, Leges Synodales, & Edicta, ut ab omnibus serventur, sedulo curent, Deo, & Nobis rationem reddituri, si ab instituto defecerint. Casuum Collationes, ut semper habeantur, ipsis quam-

(4) *Syn. Piac. c. 28. n. 2.*
(5) *Ibid. n. 3.*

quamplurimum curæ ſit, nec aliorum excuſationes tam facile accipiant, præſertim cum de aliquo agatur, qui ſolitus ſit proprium locum deſerere. Iſtorum defectiones, cum frequenter deprehendent, Nobis aperiant; ſecus arbitrio Noſtro corripientur.

CAPUT XXIX.

De Synodalibus Conſtitutionibus.

I. Synodales Conſtitutiones hucuſque evulgatas non duximus arbitraria voluntate conficere, ſed ex ſæpe laudata Synodo Piazza, aliorumque celebrium Epiſcoporum Synodis mutuatas, ac Sacrarum Congregationum reſponſis firmatas, & Auctorum probatiſſimorum judicio fulcitas, omnibus tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus Diœceſis Noſtræ obſervandas proponimus.

II. Omnia ſtatuta in prælaudata Synodo, quæ huic non adverſantur, confirmamus. Pœnas vero, & Cenſuras in Synodicis Conſtitutionibus Deceſſorum Noſtrorum latas, & inflictas, præſenti Sanctione de medio tollimus, & abrogamus, illaſque tantummodo aſſicere volumus, quas in hac Noſtra Synodo ſtatuimus. Quoniam autem temporum viciſſitudo non ſemper eadem poſtulat, variationes, ſi quæ ſunt, præſentis temporis calamitatibus, ac neceſſitatibus tribuantur. Harum autem Conſtitutionum interpretationem Nobis impoſterum, data opportunitate, reſervamus.

III. Ex quo Sanctiones iſtæ fuerint evulgatæ poſt tempus in Noſtris Edictis præfiniendum, omnes afficere volumus, nulla excuſatione, vel ignorantia ſuffragante.

IV. Vicarium N. Gen. quamplurimum in Domino obteſtamur, ne Synodi hujus Decreta infringi, vel in caſſum ire permittat, ſedulo ejus operam, & vigilantiam excitantes, ut omnes in officio continere curet.

V. Vicariis Foraneis, & Animarum Rectoribus ſtricte præcipimus, ut pro viribus curent, ne Conſtitutiones Synodales inutiles reddant, ſed omnes ſtent in gradu ſuo, & ea, qua par eſt, alacritate ipſimet mandatis obtemperent, ac ab aliis ſtudeant ea religioſe cuſtodiri.

CAPUT XXX.

De Judiciis, & Foro Episcopali.

I. MUlta utiliter, ac salubriter a Synodo Piazza Judicium, & Forum Episcopale respicientia, fuere sancita, quæ nunc adprobamus, mandantes, ut omnia rite serventur. In primis ergo volumus, quod miserabilium Personarum, ac vere inopum causæ, quam celerrime expediantur, & Acta omnia pro illis gratis fiant. Mercedem autem Cancellarius Noster ab iis non exigat, nisi cum a victo pauperi Victori expensæ refundentur (1).

II. Sequestra, quæ species exequutionum sunt, expediri nolumus, nisi prius a Vic. N. Gen. subscripta fuerint, alias nulla sint, & impune sperni possint (2).

III. Romanæ Curiæ, quæ Curiarum omnium Pontificiæ Ditionis Magistra est, morem prosequentes statuimus, quod in causis sive civilibus, sive criminalibus terminum Proservato haberi liceat, & pro libito habeatur.

IV. Sportulas in Civilibus causis, termino Proservàto habito, vel Decreto edito pronuntiationis, prout in Cedula ab utraque parte apud Actuarium causæ deponi præcipimus; Sententia autem lata, sportula eadem Judici persolvatur.

V. Si pecunias ultra summam Scutorum sex in Actis Curiæ Nostræ deponi contigerit, ad sacram Ædem a Cancellario Nostro extemplo deferantur, Depositi Cedula dumtaxat apud se retenta.

VI. Cancellarius Noster Inventarium scripturarum omnium in Cancellaria, vel Tabulario existentium integre confectum habeat, illique scripturas quascumque de die in diem exhibendas addat, ut sic, quæ desunt dignosci possint (3).

VII.

---

(1) *Decr. Congr. particul. a S. M. Ben. XIII. approb., typis impress. in Ap. Conc. Rom. sub n. 13.*

(2) *Syn. Falgin. c. 29. n. 13. Ridolfin. Prax Judic. part. 1. c. 14. n. 189. cum ibi cit.*

(3) *Syn. Fulgin. c. 29. n. 9. Syn. Rasp. c. 54.*

VII. Depositarius Curiæ Nostræ Librum habeat bene compactum, in quo nedum Pignora eadem fideliter describantur (4), sed & eorumdem Pignornm valor, subhastationes, ac venditiones referantur, servetque Mandata, in quorum vim exequutio fuerit expleta. At trienniis singulis Librum, Mandataque Depositarius ipse ad Cancellarium asportet.

VIII. Taxam, quam *Magalottam* vocant a Sixto V. Pont. Max. pro hac Provincia probatam, quacumque adversa consuetudine nullatenus obsistente, tum in civilibus, tum in criminalibus causis Synodico hoc Decreto in Curia Nostra servari omnino mandamus (5) demptis mercedibus Lictorum Nostrorum in criminalibus causis.

IX. Tabellam in Appendice hujus Synodi positam, quoad feriarum numerum ab Officialibus Nostris servari præcipimus (6). Volumus præterea, ut D. D. causarum Patroni tempore Missæ, quæ post Tertiam in Cathedrali Ecclesia canitur, coram Vic. N. Gen. cum eorum instantiis compareant jam in Libro ad id parato conscriptis, easque legi faciant a Notario causæ, ac Decretum coram Judice scribatur; alias non admittantur instantię, nec pręposterę responsiones. Qui in his defecerit non conqueratur, si ea die e suo loco excidisse comperiet, vel si Decretum eo absente feretur, cum Justitia id suadebit.

X. Cum Judex terminum Proservatum in Causis decreverit, Procuratores insimul quamprimum coram eodem Judice conveniant de causæ meritis, alias non graventur, si expeditio differatur, vel jura partium lædantur. Judex enim sententiam dicturus, eam secundum acta, & probata proferre tenetur. Jura autem non recipiantur brevi manu, & ut Forenses ajunt *in manica*, sed producantur in actis, ut pars adversa excipere possit. Ita enim fraudibus occurri facilius poterit.

XI. Judices non soli accusatori deferant, sed & accusato aures præbeant, nihil ex arbitrio voluntatis suæ faciant, & domesticæ

 propo-

(4) *Syn. Fulgin. loc. cit. n. 16.*

(5) *Tax. magal. cum lit., Apost. S. M. Xisti Pp. V. hic indicat. impress. apud Messerium de Leg., & Nunc. Tom. 2. pag. 109. usqu. ad 135.*

(6) *In Ap. n. XXIII.*

propofito voluntatis, fed juxta Leges, & *Jura* pronuncient: Obfequantur Legibus, non adverfentur. Examinent caufæ merita, non mutent (7).

XII. Dies omnes juridicos renunciamus, præter eos in Tabella Feriarum defcriptos, ne caufæ in Partium difpendium longius protrahantur, & ut citius juftitia miniftretur (8).

OFFI-

(7) *S. Ambr. ferm.* 20. *fuper Pf.* 118.
(8) *Syn. Piaç. in Ap ad cap.* 30. *n.* 2.

OFFICIALES SYNODI.

Judices Querelarum, & Excusationum absentium.

Illuſtriſs. Dominus Marius Æneas Bonelli J. U. D. Prot. Ap., & Illuſt. & Rm̃i Dñi Epiſcopi Vicarius Generalis.
Reverendiſs. D. Livius ab Haſtis Brandolini Archidiaconus hujus Cathedralis, S. Theologiæ, & J. U. D.
Reverendiſs. D. Canonicus Joannes Regiani J. U. D.

Promotor Synodi.

Reverendiſs. D. Primicerius Bernardinus Framonti J. U. D.

Secretarius Synodi.

Reverendiſs. D. Can. Melchior Antonius Tellarini Revm̃i D. Can. Theologi Coadjutor J. U. D.

Præfecti Disciplinæ Synodalis pro Clero Urbano.

Reverendiſs. D. Can. Joſeph Boſondi.
Reverendiſs. D. Can. Franciſcus Tambinus Petrignani.
Reverendiſs. D. Can. Joan. Bapt. Gaddi.
Reverendiſs. D. Can. Lucius Scanelli.

Pro Clero Foraneo.

Adm. Rev. D. Jacobus Buti Archipresbyter S. M. Aquæductus.
Adm. Rev. D. Carolus Fraſſineti Archipresbyter Terræ Solis.

Magi-

Magister Cæremoniarum.

Adm. Rev. D. Hieronymus Lolli Præfectus Cæremoniarum Illmi, & Revmi D. Episcopi.

Coadjutores.

Adm. Rev. D. Franciscus Savorelli.
Rev. D. Philippus Baccarini.
Rev. D. Paulus Panciatichi.

Coadjutor Dñi Secretarii in Lectione Decretorum.

Rev. D. Aloysius Cicognani.

Ostiarii Synodi.

Rev. D. Antonius Majoli.
Rev. D. Aloysius Fabri.

Notarius Synodi.

Dñus Vincentius Milani Notarius Episcopalis Civilis.

Judices Synodales.

Illustriss. D. Marinus Æneas Bonelli J.U.D., Prot. Apost., & Illmi, ac Rmi Episcopi Vicarius Generalis.
Reverendiss. D. Archidiaconus Livius ab Hastis Brandolini Sacræ Theologiæ, & J. U. D.
Reverendiss. D. Primicerius Bernardinus Framonti J. U. D.
Reverendiss. D. Can. Joannes Reggiani J. U. D.
Reverendiss. D. Can. Theologus Thomas Castellini Sac. Theol. Doct.
Reverendiss. D. Can. Bonifacius Pontiroli Pœnitentiarius J. U. D.
Revereadiss. D. Can. Melchior Antonius Tellarini Revmi D. Cani Theologi Coadjutor J. U. D.
Nobilis D. Vincentius Lachini J. U. D.
Illustriss. D. Can. Hermenegildus Tanursi J. U. D. Illmi, & Rem. Episcopi Brictinorii Vicarius Generalis.

EXA-

EXAMINATORES SYNODALES.

Confirmati.

Ex Revmo Capitulo.

Reverendiſs. D. Primicerius Bernardinus Framonti J. U. D.
Reverendiſs. D. Joannes Reggiani J. U. D.
Reverendiſs. D. Can. Theologus Thomas Caſtellini Sac. Theol. Doct.

Ex Clero Urbano.

Adm. Rev. D. Franciſcus Caſtelli Parochus S. Blaſii.
Nobilis D. Abbas Antonius Mangelli Sacerdos extinctæ Societ. Jeſu.

Ex Clero Foraneo.

Adm. Rev. D. Cajetanus Sangiorgi Paroch. S. Mariæ de Durazzano.

Ex Regularibus.

Reverendiſs. P. Ab. Laurentius Fiorini de Forolivio Congr. Valliſumb.
Reverendiſs. P. Mag. Fr. Vincentius Columbani de Forolivio Ord. Præd. Inquiſitor Generalis Novariæ.
Adm. Rev. P. M. Fr. Vincentius Savorelli de Forol. Ord. Præd.
Adm. Rev. P. M. Fr. Franciſcus Reggiani de Forol. Ord. Min. Conv.

Examinatores Synodales de novo electi.

Illmus D. Marinus Æneas Bonelli J. U. D. Prot. Apoſt. Illmi, & Revmi D. Epiſcopi Vicarius Generalis.

Ex Revmo Capitulo.

Reverendiſs. D. Archidiaconus Livius ab Haſtis Brandolini Sac. Theol. & J. U. D.
Reverendiſs. D. Archipresbyter Alexander Morattini.
Reverendiſs. D. Can. Prior Marcianeſi.
Reverendiſs. D. Can. Franciſcus Oſſi J. U. D.
Reverendiſs. D. Can. Cæſar Scanelli.

Reve-

Reverendifs. D. Can. Octavius Albicini.
Reverendifs. D. Can. Pœnitentiarius Bonifacius Pontiroli.
Reverendifs. D. Can. Melchior Antonius Tellarini Revmi D. Can. Theol. Coadjut., & J. U. D.

Ex Clero Urbano.

Adm. R. D. Pompejus Antonius Fiorentini Parochus hujus Chathed.
Adm. R. D. Joseph Antonius Forgani Parochus S. Antonii Ab. in Ravaldino.
Adm. R. D. Franciscus Rondoni Parochus S. Jacobi in Strata.
Adm. R. D, Hyacinthus Sandroni Parochus S. Mariæ Illyricorum.
Adm. R. D. Paschalis Galli Parochus S. Martini in Castello.
Nobilis D. Ab. Joannes Bapt. Tartagni Sacerd. extinct. Societ. Jesu.
Nobilis D. Ab. Peregrinus Columbani Sacerd. extinct. Societ Jesu.
Nobilis D. Ab. Stephanus Bramieri Sacerd. extinct. Societ. Jesu.
Illmus D. Ab. Andreas Michelini Sacerd. extinct. Societ. Jesu.
Adm. R. D. Sebastianus Moretti Sac. Theol. Doct.
Adm. R. D. Julius Santarelli.
Adm. R. D. Joannes Ignatius Gallego Sacerd. extin. Societ. Jesu.
Adm. R. D. Joachim Cortes Sacerdos extin. Societ. Jesu.
Adm. R. D. Joachim Ochoa Sacerdos extin. Societ. Jesu.
Adm. R. D. Joseph Prado Sacerdos extinct. Societ. Jesu.
Adm. R. D. Bernardinus Mordiglia Superior Cong. Orat. S. Philippi Nerii hujus Civitatis.
Adm. R. D. Gaspar Gelpi Sacerdos Congr. Orat. S. Philippi Nerii hujus Civitatis.
Adm. R. D. Franciscus Baccari Superior Domus Mission. huj. Civit.
Adm. R. D. Petrus Balducci de Forol. Sacerd. Cong. Missionis.
Adm. R. D. Michael Catoni Sacerd. Congr. Missionis.

Ex Clero Foraneo.

Adm. R. D. Anton. Castelli Parochus Villæ Pezzoli, & Vic. For. Congr. S. Pancratii.
Adm. R. D. Andreas Rapa Archipresbyter, & Vic. For. in Lampio.
Adm. R. D. Jacobus Buti Archipesbyter, & Vic. For. Congreg. S. Mariæ Aquæductus.
Adm. R. D. Bartholomæus Cardoni Archipr., & Vic. For. Congr. S. Laurentii in Vado Rondino.

Adm.

Adm. R. D. Carolus Fraſſineti Archipr., & Vic. For. Terræ Solis.
Adm. R. D. Marianus Romagnoli Archip., & Vic. For. Oppidi Salſubii.
Adm, R. D. Joannes Quercioli Archipr., & Vic. For. Congr. S. Petri in Cerreto.

Ex Regularibus.

Reverendiſs. P. D. Bruno Gnocchi Abbas S. Mercurialis hujus Civitatis Congr. Valliſumbroſæ.
Reverendiſs. P. D. Auguſtinus Macchi Abbas S. Salvatoris hujus Civitatis Congr. Camaldul.
Reverendiſs. P. D. Felix Aloyſius Balaſſi de Forol. Ab. Exgen. Congr. Rhenanæ.
Reverendiſs. P. D. Michael Fachinei de Forol. Ab. SSmi Nom. Jesu hujus Civitatis Congr. Rhenanæ.
Adm. R. P. M. Fr. Pius Gaddi de Forol. Ord. Præd. Prior Conventus S. Dominici Bononiæ.
Adm. R. P. M. Fr. Thomas Dominicus Gualandi Prior Conventus S. Jacobi hujus Civitatis Ord. Prædic.
Adm. R. P. M. Fr. Thomas Fabri de Forol. Ord. Prædic. Primus Socius Commiſs. Gen. S. Officii Romæ.
Adm. R. P. M. Fr. Angelus Merenda de Forol. Ord. Præd. Secundus Socius Commiſſ. Gen. S. Officii Romæ.
Adm. R. P. M. Fr. Peregrinus Ricci de Forol. Ord. Min. Convent., & Gymnaſii hujus Civitatis Præfectus.
Adm. R. P. M. Fr. Franciſcus Balducci de Forol. Ord. Min. Conven.
Adm. R. P. M. Fr. Aloyſius Agelli de Forol. Ord. Min. Conven.
Adm. R. P. M. Fr. Thomas Mazzolini de Forol. Provinc. Ord. Carmelitarum.
Adm. R. P. M. Fr. Thereſius Mazzolini de Forol. Ord. Carmelit.
Adm. R. P. M. Fr. Philippus Zampa Prior Conventus Ord. Servor. B. M. V. hujus Civitatis.
Reverendiſs. P. Fr. Romanus Roberti de Forol. Exvicarius Generalis, & Prior Conventus S. Auguſtini ejusdem Civitatis.
Adm. R. P. Fr. Angelus Becciani Exprovincialis, & Prior Conventus S. Michaelis Congr. B. Petri de Piſis hujus Civitatis.
Adm. R. P. Fr. Hermenegildus Pandolfi de Forol. Congr. B. Petrri de Piſis, in Seminario Epiſcopali dictæ Civit. Sacræ Theol. Lector.
Reverendiſs. P. M. Fr. Aloyſius Maſotti de Forol. Exgen. Tertii Ord. S. Franciſci.

Adm. R. P. Lector Fr. Franciscus Tonelli Tertii Ord. S. Francisci Prior Conventus Vallisviridis hujus Civitatis.

Adm. R. P. Fr. Innocentius a Forol. Lector jubilatus Ord. Min. Observ. S. Francisci in Semin. Episcop. Theol. Moral. Lector, & Illmi, & Rmi Episcopi Theologus.

Adm. R. P. Fr. Carolus a Forol. Lector jnbilatus Ord. Min. Observ. S. Franc., & in Gymn. hujus Civitatis Philosophiæ Lector.

Adm. R. P. Fr. Aloysius Maj Ord. Minimorum, in Semin. Episc. Philosophiæ Lector.

Adm. R. P. Fr. Lazzarus a S. Francisco Procurator Carmelit. Excalceat. hujus Civitatis.

Adm. R. P. Fr. Victorius a S. Francisco Ord. SS. Trinit. Excalceat. Redempt. Captiv. Superior Conventus S. Mariæ de Populo huj. Civit.

Adm. R. P. Fr. Seraphinus a Cesena Exprovincialis Ord. Capuccin.

Adm. R. P. Romualdus Sassi a Forol. Provincialis Congr. Clericor. Regul. Ministrantium Infirmis.

Adm. R. P. Carolus Ferrari Superior Domus Clericorum Regular. Minist. Infirmis hujus Civitatis.

Præfecti Doctrinæ Christianæ in Civitate.

Reverendiss. D. Livius ab Hastis Brandolini Archidiac. huj Cathedr. S. Theol., & J. U. D.

Reverendiss. D. Archipvesbyter Alexander Morattini.

Reverendiss. D. Can. Franciscus Ossi J. U. D.

Reverendiss. D. Can. Joannes Bapt. Gaddi.

In Diœcesi erunt Prçfecti Vicarii Foran., unusquisque in sua Regione.

Revisores Onerum Missarum in Civitate.

Reverendiss. D. Primicerius Bernardinus Framonti J. U. D.

Reverendiss. D. Can. Joseph Bosondi.

Reverendiss. D. Can. Franciscus Tambinus Petrignani.

In Diœcesi Vicarii For. quotannis cognoscent de implemento Onerum, quilibet in suo Vicariatu.

Revisores computorum Locor. Pior. in Civitate.

Reverendiss. D. Primicerius Bernardinus Framonti J. U. D.

Reve-

Reverendiſs. D. Can. Franciſcus Oſſi J. U. D.
Reverendiſs. D. Melchior Antonius Tellarini Rm̃i D. Can. Theol. Coadjut. J. U. D.
In Diœceſi vero idem præſtabunt Vic. For. quilibet in ſua Congreg.

Ratiocinatores.

D. Alexander Prati. | D. Joſeph Campagnoli.

Advocatus Pauperum Curiæ Epiſcopalis.

Excellens D. Joannes Bapt. Roberti.

Procurator Pauperum ipſius Curiæ.

D. Joſeph Ravaglio.

Defenſor Matrimoniorum.

Nob. D. Advocatus Octavianus Galeppini J. U. D.

Defenſor Profeſſionum.

Præfatus D. Joannes Bapt. Roberti.

Depoſitarius Multarum.

Nob. D. Comes Fabritius Merenda.

Œconomus pro exactione Synodatici, ſeu Cathedratici.

Nob. D. Joſeph Mazzolini.

ROGITUS

DE LECTURA

DECRETORUM SYNODALIUM.

In Dei Nomine. Amen.

P*Ræsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, notumque sit, qualiter in prima Sessione Diœcesanæ Synodi Foroliviensis celebratæ in hac Cathedrali Ecclesia Feria quinta, nempe die vigesima sexta labentis Mensis Aprilis de mane post Missam Pontificalem de Spiritu Sancto decantatam ab Illmo, & Revmo D. D. Mercuriali Prati Ordinis S. Benedicti, Congregationis Vallisumbrosæ, hujus prædictæ Civitatis Episcopo, post publicam Supplicationem, aliasque Preces in Pontificali Libro statutas, ac Sermonem a Dom. Sua Illma, & Revma in Faldistorio habitum, a Nobili, ac Revmo D. Archidiacono Livio ex Comitibus ab Hastis Brandolini perlecta fuerunt ex Ambone Decreta Sacri Concilii Tridentini* = De inchoanda Synodo = De Fidei professione emittenda =, & de Residentia. *Inde a Nobili, & Revmo D. Canonico Melchiore Antonio Tellarini Remi D. Canonici Theologi Coadjutoris, & Synodi a Secretis promulgata fuere pariter ex Ambone prima Decreta, scilicet* = De ratione vivendi in Synodo, & de non discedendo = De non præjudicando = De Ministris Synodalibus. *In secunda autem Sessione habita hesterna die vigesima septima dicti mensis, post Sacrum solemniter factum pro Defunctis a præfato Revmo D. Archidiacono, & consuetas Preces, Rev. D. Aloysius Cicognani præfati D. Secretarii Coadjutor sequentia Decreta Synodalia evulgavit, scilicet* = De Fide, Fidei Professione, & Fidei Rudimentis = De Baptismo = De Confirmatione = De Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento = De Sacrificio Missæ = De Sacramento Pœnitentiæ = De graviorum criminum reservatione = De Extrema Unctione = De Sacramento Ordinis = De Sacramento Matrimonii = De vita, & honestate Clericorum = De Capitulo, & Canonicis = De Parochis = De Sacrosanctis Ecclesiis, & Altaribus = De dierum Festorum observatione = De Sacris Jejuniis = De Verbi Dei Præ-

Prædicatione = De Taxa Funerum = De Processionibus = De Santimonialibus = De Fraternitatibus Laicorum = De Monte Pietatis, & Hospitali = Et de Domibus Puerorum, & Puellarum. *In tertia autem, & ultima Sessione habita hodie mane vigesima octava ipsius Mensis, post Missam solemnem decantatam a Nobili, & Reverndiss. D. Præposito Hieronymo Paulucci, & Preces, de quibus in Pontificali libro, memoratus coadjutor perlegit crtera Decreta nempe* = De Usuris, & Contractibus illicitis = De Librorum impressione = De Blasphemiis = De sacris Collationibus = De Vicariis Foraneis = De Synodalibus Constitutionibus = Et demum de Judiciis, ac Foro Episcopali. *Inde emanatum fuit Decretum de vocatione omnium Ecclesiasticorum, & Beneficiatorum, & de procedendo contra absentes, ac tandem de Conclusione Synodi. Hisque expletis Dom. Sua Illma, & Revma breviter Clerum alloquutus fuit, ac omnibus solemniter benedixit, evulgatis Indulgentiis, & facta Processione, actisque Deo gratiis absoluta fuit Synodus.*

Quæ omnia gesta, celebrata, & evulgata fuerunt coram Reverendiss. Capitulo præfatæ Cathedralis Ecclesiæ, & universo Clerum hujus Civitatis, & Diœcesis, me Notario præsente una cum Testibus infrascriptis. Et super præmissis institum fuit a Nobili, & Revmo D. Canonico Primicerio Bernardino Framonti J. U. D. prædictæ Synodi Promotore, ut ego infrascriptus tamquam Notarius Synodalis deputatus unum, vel plura conficerem Instrumentum, seu Instrumenta, prout confeci.

Actum Forolivii in supradicta Cathedrali Ecclesia indicatis diebus vigesima sexta, vigesima septima, & vigesima octava Aprilis Anni Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo nonagesimo secundo Indictione X. tempore Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Dñi N. Dñi PII Divina Providentia Papa VI., præsentibus Adm. RR. DD. Antonio Mazza, & Paulo Panciatichi ambobus Præsbyteris Foroliviensibus Testibus &c.

Ita est Vincentius Milani Notarius Episcopalis in civilibus, ac Synodalis de præmissis rogatus hic me subscripsi, & solito, quo utor, Signo prædicta omnia munivi requisitus &c.

Loco ✠ *Sigili.*

EDI-

EDICTUM
PUBLICATIONIS DECRETORUM
PRIMÆ DIŒCESANÆ SYNODI.

D. MERCURIALIS PRATI

Ordinis S. Benedicti Congregationis Vallisumbrosæ, Patritius, ac Dei, & Sanctæ Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Foroliviensis, Sanctissimi Domini Nostri Papæ Prælatus Domesticus, ejusque Pontificio Solio Assistens.

UNiversis, & singulis hujus Nostræ Civitatis, & Diœcesis Christifidelibus præsenti Nostro Edicto ad Valvas Nostræ Cathedralis, & Ecclesiæ Majoris in quovis Oppido, & Pago figendo, pervulgantur omnia, & singula Decreta primæ Nostræ Diœcesanæ Synodi, quam diebus 26., 27., & 28. Aprilis præteriti Anni in eadem Cathedrali celebravimus, quæ quidem Decreta in Civitate Faventiæ formis excusa infra Mensem a data præsentium Litterarum Edictalium supputandum, omnes, ad quos spectant ita volumus afficere, ac si cuilibet ex ipsis personaliter exhibita, & intimata fuissent, sub pœnis in iisdem Decretis Synodalibus latis; aliisque arbitrio Nostro infligendis. Datum Forolivii ex Palatio Nostro Episcopali hac die 15. Junii 1793.

MERCURIALIS EPISCOPUS FOROLIVIENSIS.

APPEN-

APPENDIX AD SYNODUM

AD CAPUT PRIMUM.

De Fide.

N. I.

Citat. in eodem Cap. num. 2.

Formula Professionis Fidei.

EGo N. N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet = Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia Sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos Homines, & propter nostram Salutem descendit de Cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare Vivos, & Mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto Resurrectionem Mortuorum, & vitam venturi Sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas Traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & Constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenet, & tenuit Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam, & interpretabor.

Profi-

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere, & proprie Sacramenta novæ Legis a Jeſu Chriſto Domino Noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani Generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria: ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque Gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de Juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro Vivis, & Defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, una cum Anima, & Divinitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ Panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ Vini in Sanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas Fidelium Suffragiis juvari; Similiter & Sanctos una cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque Orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas.

Firmiſſime aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano Populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia a Sacris Canonibus, & Œcumenicis Conciliis, & præcipue a Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, ac declarata indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque Hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a meis Subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum. Ego idem N. N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Si vero plures inſimul Fidei Profeſſionem ſint emiſſuri, unus illam perleget, aliis audientibus, deinde qui non legerunt jurabunt in hanc formam.

EGo N. N. recipio, promitto, ſpondeo, profiteor, deteſtor, anathematizo, voveo, & juro, ut in Decretis, & formula Profeſſionis Fidei modo lecta, ſingula ſingulis referendo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Forma-

Formula Juramenti, quod præstari debet in eorum provisione a Canonicis, Parochis, & Beneficiatis quibuscumque, præter Fidei Professionem.

EGo N. N. provisus de Parochiali, vel Canonicatu, vel Beneficio N. juro me futurum fidelem, & obedientem Sanctæ Matri Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, ac Illustrissimo, & Reverendissimo Domino N. N. Episcopo Foroliviensi, ejusque Successoribus canonice intrantibus; nec Beneficium antedictum accepisse animo dimittendi, sed per me eidem deserviturum, & ad illud Beneficium (*si sit residentiale*) continuam residentiam facturum, universaque ejus onera impleturum, neque me de Bonis Ecclesiæ, vel Beneficii prædicti, seu de ejus fructibus, aut super eis pacta aliqua illicita cum ullo prorsus inivisse.

Juro item omnium, & singulorum Bonorum ejusdem Ecclesiæ, aut Beneficii tam Mobilium, quam Immobilium, Jurium, & Pertinentiarum ad idem Beneficium quomodolibet spectantium Inventarium, quamprimum potero, me facturum, & intra sex Menses in Actis Curiæ Episcopalis, juxta dispositionem Synodalem exhibiturum, Bonaque, Res, Possessiones, & Jura ad ipsam Ecclesiam, seu Beneficium pertinentes, & pertinentia non venditurum, donaturum, pignoraturum, aut alio quovis modo contra Juris dispositionem alienaturum, immo alienata pro meis viribus recuperaturum, semperque defensurum, eaque manutenturum, conservaturum, & pro posse melioraturum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Si autem provisio fuerit vigore electionis, vel præsentationis, Forma Juramenti erit sequens.

EGo N. N. nominatus, & præsentatus, *vel electus ad Parochialem*, *vel Canonicatum*, *vel Beneficium N.* juro me prædicti Beneficii obtinendi gratia, aut ut ad illud præsentarer, & nominarer, *vel eligerer*, neque alium quemquam meo nomine, aut consentiente, vel sciente me quidquam Collatori, Patrono, vel alteri promisisse, dedisse, compensasse, aut prius datum confirmasse, vel apud quempiam depoluisse, neque mutuo dedisse, sive prius mutuo datum, commodatum, aut quocumque titulo mihi debitum remisisse, neque de Domibus, Terris, Prædiis, Redditibus hujus Ecclesiæ, *vel Beneficii* fructibus Decimis, aut Oblationibus ejusdem præteritis, præsentibus, aut futuris, donationem, remissionem, locationem me, aut alium, mandante vel consentiente me, fecisse, promisisse, aut inivisse. Item juro me futurum fidelem, & obedientem Sanctæ Matri Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, ac Illustrissimo, & Reverendissimo Domino N. N. Episcopo Foroliviensi, ejusque Successoribus canonice intrantibus, nec Beneficium antedictum accepisse animo dimittendi, sed per me eidem deserviturum, & ad illud Beneficium (*si sit residentiale*) continuam residentiam facturum, universaque ejus onera impleturum, neque me de Bonis Ecclesiæ, vel Beneficii prædicti, seu de ejus fructibus, aut super eis pacta aliqua illicita cum ullo prorsus inivisse. Juro item omnium, & singulorum Bonorum ejusdem Ecclesiæ, aut Beneficii tam Mobilium, quam Immobilium, Jurium, & Pertinentiarum ad idem Beneficium quomodolibet spectantium Inven-

tarium, quam primum potero, me facturum, & intra sex menses in Actis Curiæ Episcopalis juxta dispositionem Synodalem exhibiturum, Bonaque, Res, Possessiones, & Jura ad ipsam Ecclesiam, seu Beneficium pertinentes, & pertinentia non venditurum, donaturum, pignoraturum, aut alio quovis modo, contra Juris dispositionem alienaturum, immo alienata pro meis viribus recuperaturum, semperque defensurum, eaque manutenturum, conservaturum, & pro posse melioraturum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Formula Juramenti Examinatorum Synodalium.

EGo N. N. Examinatoris Officium, quod suscepi, promitto, spondeo, ac juro, me fideliter, & sincere, quantum in me est, exequuturum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Formula Juramenti Punctatoris.

EGo N. N. per hæc Sancta Dei Evangelia juratus sancte promitto, ac spondeo Punctatoris Officium, quod suscepi, me fideliter, & sincere, quantum in me est, exequuturum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

AD CAPUT II.

N. II.

Citat. dicto Cap. n. 9.

Indulgenze specialmente concedute da' Sommi Pontefici ai Confratelli, e Consorelle della Confraternita della Dottrina Cristiana nel giorno dell' ingresso nella Confraternita.

PAolo V. nel giorno dell' ingresso a tutti gli Operai, Ministri, e Confratelli pentiti, Confessati, e Comunicati concede Indulgenza plenaria *Constit. XXXVI. Ex credito 6. Octobris 1607.*

Nell' insegnare la Dottrina Cristiana.

SA Pio V. ai medesimi Confratelli ogni qualvolta insegnano la Dottrina Cristiana, concede quaranta giorni d' Indulgenza *Constit. CXXXVII. Ex debito 6. Octobris 1571.*

Paolo V. a quelli, che insegnano la Dottrina Cristiana, concede nel giorno delle stazioni tutte le Indulgenze concedute a quelli, che in essi giorni visitano le Chiese stazionali di Roma *Constit. citat.*

Lo,

Lo stesso ai medesimi Confratelli, se usciranno per le Ville, e Castelli ad insegnarla, concede dieci anni d' Indulgenza.

Lo stesso concede ai medesimi Confratelli cento giorni d' Indulgenza, se la insegneranno nei giorni di lavoro, o in pubblico, o in privato.

Nell' esercitare altri Uffizj spettanti alla Dottrina Cristiana.

PAolo V. a tutt' i Confratelli, i quali procureranno, che i Fanciulli, Servi, ed altri vadano alla Dottrina Cristiana concede duecento giorni d' Indulgenza *Constit. citat.*

Ai Confratelli parimente, se anderanno in giro per le strade, affine di condurre Uomini, Donne, e Fanciulli alla Dottrina Cristiana, concede sette anni d' Indulgenza.

Duecento giorni d' indulgenza concede ai medesimi, quando interverranno alle dispute della Dottrina.

Al Sacerdote, che predicherà, o farà spirituali Ragionamenti nelle Scuole della Dottrina Cristiana, concede sette anni d' Indulgenza.

Ai Visitatori, se Confessati, e Comunicati, visiteranno le Scuole della Dottrina Cristiana nei giorni delle Stazioni, concede tutte le Indulgenze delle Chiese stazionali di Roma.

Intervenendo alle Congregazioni della Confraternità acquistano per concessione dello stesso Pontefice duecento giorni d' Indulgenza.

Nel ricevere i SS. Sacramenti della Penitenza,
e dell' Eucaristia.

PAolo V. concede ai Confratelli, e Consorelle Indulgenza Plenaria, se pentiti, e Confessati riceveranno la Santissima Comunione nella Festa principale della Confraternita *Constit. citat.*

Lo stesso concede ai medesimi Indulgenza di sette anni, e di sette quarantene, se pentiti, e Confessati si comunicheranno una volta il mese. *Constit. citat.*

Nell' esercitare altre Opere di Pietà.

PAolo V. ai Confratelli, che visiteranno gl' Infermi Confratelli, concede ogni volta duecento giorni d' Indulgenza *Constit. citat.*

Accompagnando il SS. Sacramento, quando si porta agl' Infermi, ogni volta sette anni d' Indulgenza.

Accompagnando i Cadaveri dei loro Confratelli alla Sepoltura, e intervenendo all' Esequie, Anniversarj, ed Officj fatti pe' medesimi, pregando per essi, tre anni d' Indulgenza.

Intervenendo ai Divini Officj, ogni volta duecento giorni d' Indulgenza.

La stessa Indulgenza di duecento giorni concede ai medesimi ogni qualvolta sotto lo Stendardo della Confraternita intervengono alle Processioni.

Nell' Articolo della morte.

PAolo V. concede Indulgenza Plenaria ai medesimi Confratelli, se nell' Articolo della loro Morte saranno pentiti, Confessati, e Comunicati, oppure invocheranno col cuore il Nome SS. di Gesù.

INDULGENZE COMUNI

Ai Fedeli aggregati alla Confraternita della Dottrina Cristiana.

A quelli, che concorrono ad impararla.

SA Pio V. a tutti quelli, che concorrono alle Scuole della Dottrina Cristiana per impararla, concede ogn' anno quaranta giorni d' Indulgenza. *Constit. citat. Ex debito*, ampliata cento giorni da Gregorio XIII. *In Brev. cit.* 1572.

Benedetto XIII. a tutti quelli, che intervengono alla Dottrina Cristiana, concede cento giorni d' Indulgenza: *Appendic. Conc. Rom. Instruct.* 1. §. *VIII.*

Paolo V. concede ai medesimi tutte le Indulgenze nei giorni delle Stazioni concedute a quelli, i quali visitano in essi giorni le Chiese Stazionali di Roma. *Constit. citat. Ex credito.*

Lo stesso a tutti quelli, che sono soliti d' intervenire alla Dottrina Cristiana confessandosi nelle Feste della B. Vergine Maria, o in altra Festa da determinarsi dai Superiori della Confraternita, concede anni tre d' Indulgenza, e anni cinque, se riceveranno la Santissima Eucaristia. *Ibid.*

Agli Adulti, che intervengono alla Dottrina Cristiana.

CLemente XII. agli Adulti, che intervengono alla Dottrina Cristiana, concede tutte, e singole quelle Indulgenze, remissioni de' Peccati, e rilassazioni di Penitenze concedute dai Romani Pontefici a quelli, che insegnano, o intervengono nelle Chiese della Dottrina Cristiana. *Constit. CLVIII. Coelestium* 4. *Junii* 1735., & *Constit. CLXX. Pastoralis* 6. *Martii* 1736.

Lo stesso agli Adulti ogni qualvolta intervengono a questo santo Esercizio, concede sette anni, e sette quarantene d' Indulgenza. *Constit. citat. Coelestium.*

Lo stesso Pontefice agli Adulti, se assiduamente frequenteranno questo santo Esercizio, per imparare la Dottrina Cristiana, e pentiti, Confessati, e Comunicati nelle Feste della Natività del Signore, Pasqua di Resurrezione, e de' Santi Apostoli Pietro, e Paolo, pregheranno per la concordia de' Principi Cristiani, estirpazione dell' Eresie, ed Esaltazione di Santa Madre Chiesa, concede Indulgenza Plenaria. *Constit. mox citat.*

Ad alcuni Fedeli insegnando la Dottrina Cristiana.

PAolo V. ai Padri, ed alle Madri, che in casa insegnano ai Figliuoli, o Ser-

o Servi la Dottrina Cristiana, concede ogni volta cento giorni d' Indulgenza. *Costitut. citat.*

Ai Maestri di Scuola, i quali insegneranno ne' giorni di lavoro la Dottrina Cristiana nelle loro Scuole, concede cento giorni d' Indulgenza.

Ai medesimi Maestri, i quali nelle Feste condurranno i loro Scolari nelle Chiese alla Dottrina, ed ivi la insegneranno, concede sette anni d' Indulgenza.

A tutt' i Fedeli insegnando la Dottrina, e concorrendo in altre maniere a questa santa Opera.

Benedetto XIII. a tutt' i Fedeli, che insegnano nelle Chiese la Dottrina, concede ogni volta cento giorni d' Indulgenza. *In Append. Concil. Rom. loco citat.*

Clemente XII. a tutti quelli, che la frequentano assiduamente per insegnarla, se pentiti, Confessati, e Comunicati nelle Feste del Natale, Pasqua di Resurrezione, e de' SS. Apostoli Pietro, e Paolo, pregheranno come sopra, concede Indulgenza Plenaria: *Constit. cit. Cœlestium.*

Benedetto XIII. a tutti quelli, che nelle Feste anderanno raunando i Figliuoli, e Figliuole per mandarli alla Dottrina Cristiana, concede ogni volta cento giorni d' indulgenza. *In Istruct. citat.* §. 2.

Paolo V. a tutt' i Fedeli, che per mezz' ora studieranno la Dottrina Cristiana, affine d' impararla, o d' insegnarla, concede cento giorni d' Indulgenza. *Constit. cit.*

Lo stesso nel giorno, in cui si pubblica l' Aggregazione della Confraternita della Dottrina Cristiana, concede a tutt' i Fedeli pentiti, Confessati, e Comunicati sette anni, e sette quarantene d' Indulgenza. *Ibidem.*

Chiunque reciterà divotamente anche più volte il giorno gli Atti delle Virtù Teologali, cioè Fede, Speranza, e Carità, acquisterà sempre l' Indulgenza di sette anni, e sette quarantene; e se gli reciterà almeno una volta il giorno per un mese continuo, acquisterà di più in un giorno a sua elezione l' Indulgenza Plenaria, purchè in tal giorno con vero pentimento si confessi, e si comunichi, e preghi secondo l' intenzione del Pontefice, che la concede, la quale Indulgenza potrà conseguire in quanti mesi dell' anno egli venga a ripetere tutte le opere suddette; e tanto questa Indulgenza Plenaria, quanto l' altra di sette anni, e sette quarantene gli è permesso di applicare alle Anime del Purgatorio; e finalmente acquisterà altra Indulgenza Plenaria in punto di morte.

Si avverta, che per conseguire le riferite Indulgenze può ciascuno prevalersi per la recita de' suddetti Atti di quella formola, che più gli aggrada, purchè vi siano espressi i motivi speciali di ciascheduna di esse Virtù Teologali, come dichiara la San. mem. di Benedetto XIV. per mezzo delle Sac. Congregazione delle Indulgenze il dì 28. Gennajo 1756. in occasione di confermare, ed ampliare le stesse Indulgenze concesse dal medesimo Pontefice il dì 26. Giugno 1754. in una circolare ai Vescovi, ed Ordinarj d' Italia.

AD CAPUT III.

De Sacramento Confirmationis.

N. III.

Citat. ead. Cap. num. 1.

Editto della Cresima di Monsig. Piazza.

RRANCESCO PIAZZA ec.

AVendo Noi determinato di amministrare il S. Sacramento della Confermazione, e volendo ciò adempiere nelle respettive Parrocchie, che saranno da Noi a tempo, e luogo destinate, giudichiamo opportuno di manifestare i Nostri sentimenti, affinchè nell' atto, che dovremo amministrare questo Sacramento, ritroviamo il tutto ben disposto, e non si faccia cosa alcuna inordinatamente.

Primieramente ci protestiamo di voler cresimare solamente quelli, che avranno l' età compita di anni sette, sembrandoci proprio, che abbiano qualche cognizione di questo Sacramento.

Secondo. Dicendo il Pontificale Romano, che *Confirmandi deberent esse jejuni*: Bramiamo, che i Cresimandi siano digiuni: nè sarà loro difficile astenersi dal cibo, poichè amministreremo questo Sacramento la mattina.

Terzo. Che li Cresimandi sappiano i principali Misteri della nostra Santa Fede, l' Orazione Dominicale, il Simbolo degli Apostoli, la Salutazione Angelica, i Precetti del Decalogo, e della Chiesa, e se sia possibile, si confessino prima di ricevere il Sacramento con maggior profitto.

Quarto. Che ognuno si presenti con abito modesto, con la fronte monda, ed abbia seco una Fascia bianca, per legarla intorno alla fronte, dopo che sarà cresimato; ritenendola, finchè l' unzione sarà asciutta; avvertendo, che dovrebbesi bruciare il Bombace, che sarà unto col sacro Crisma, e gettarne le ceneri nel Sacrario.

Quinto. Che ciascuno porti seco, e consegni a chi ne sarà da Noi incaricato il Biglietto del Parroco, senza di cui non sarà ammesso alla Cresima, e in detto Biglietto dovrà esprimer il Nome, Cognome, Età, Parrocchia, Padrino, o Madrina del Cresimando colla sottoscrizione del proprio Parroco.

Sesto. Che gli uomini stiano separati dalle Donne, e niuno abbia ardire di tenere alla Cresima quelli di diverso sesso, e non ne tenga più d' uno, o al più due.

Settimo. Che non si ammetta per Compare, o Comare chi non è stato ancora cresimato; chi è stato Padrino, o Madrina nel Battesimo dello stesso Figliuo-

Figliuolo; chi non è maggiore di età del cresimando, in modo, che abbia per lo meno quatordici anni; chi è scomunicato, o pubblico Peccatore; e chi è straniero, nè vuol dimorare in quel luogo; e parimente non dovrà ammettersi alcun Ecclesiastico secolare, e moltomeno regolare, nè il Padre, Madre, Marito, Moglie, Patrigno, o Matrigna del cresimando; o chi non sa Dottrina Cristiana.

Ottavo. Che non si elegga in questo Sacramento più di un Compare per ciascheduno Fanciullo, ed una Comare per ciascheduna Fanciulla.

Nono. Che niuno parta dalla Chiesa, se non dopo che sarà stata da Noi data la Benedizione.

Decimo. Se qualcuno avesse dubbio di esser stato cresimato, dovrà ricorrere a Noi, che considerato il fatto, risolveremo quel che convenga fare.

Sarà poi peso dei Parrochi di notificare ai propij Parrocchiani, che imprimendo questo Sacramento il carattere, non può senza sacrilegio reiterarsi, e di bene istruire i Cresimandi tutti in ordine alla forza, virtù, ed effetti del medesimo Sacramento, e di avvertire i Padrini, e le Madrine dell' obbligo, che hanno d' insegnare in difetto de' Parenti a quelli, che avranno tenuti alla Cresima la Dottrina Cristiana, e d' indirizzarli per la via del Cielo colle ammonizioni, e buoni esempj; e inoltre dovranno avvisarli, che si contrae dai Compari, e dalle Comari con i Cresimati, e il Padre, e la Madre di ciascheduno di loro la Cognazione Spirituale, la quale impedisce, e scioglie il Matrimonio.

In fine procureranno gli stessi Parrochi, che non meno i Cresimandi, che i Padrini, e Madrine si presentino con modestia, divozione, e compostezza di corpo, e senza vani ornamenti, e insinueranno a quei, che dovranno cresimarsi il significato di quelle Sacre Cerimonie, che accompagnano la Funzione, e specialmente cosa indichi quella Croce, che nell' ungerli col sacro Crisma, loro si stampa in fronte, con cui pretende la S. Chiesa d' istruirci, a non doverci vergognare di esser Cristiani, e di animarci a portar con pazienza quella Croce, che il Signore Iddio vorrà addossarci; e gli spiegheranno eziandio il significato di quella guanciata, che loro dà il Vescovo, per la quale siamo avvertiti di soffrir per amor di Dio qualunque ingiuria, senza risentimento, e vendetta; e in ultimo gli esorteranno a vivere con pura Coscienza, e di dar buon' esempio, ciò che viene additato dalle materie, delle quali è composto il sacro Crisma, che sono il Balsamo, e l' Olio, significando il primo l' odore della buona fama, ed il secondo la mondezza della Coscienza, come appunto lo spiega il Pontefice Eugenio IV. nel suo Decreto con queste parole: *Chrisma confectum ex Oleo, quod nitorem significat Conscientiæ, & Balsamo, quod odorem significat bonæ famæ*. Che se diligentemente adempiranno i Parrochi, come sopra, le loro parti, potrà sperarsi, che chi riceverà questo Sacramento, ne riceva ancora in tutta la loro pienezza gli effetti. Dato &c.

AD CAPUT IV.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

N. IV.

Citat. eod. Cap. n. 4.

Indulgenze concedute a' Fedeli nell' accompagnare il SS. Viatico, e la Processione d' ogni mese.

Martino V. nella Constit. 12. *Ineffabile* 26. *Maii* 1429. Eugenio IV. Constit. 7. *Excellentissimum* 26. *Maii* 1433. a tutt' i Fedeli, che accompagnano il SS. Viatico col lume acceso, quando si porta agl' Infermi, concedono ogni volta duecento giorni d' Indulgenza, e cento a quelli, che l' accompagnano senza lume.

Paolo V. Constit. *Cum certas* 3. *Novembris* 1606. concede a tutt' i Fedeli, che accompagnano con lume, o senza il SS. Sacramento, quando si porta per Viatico, o per altra cagione, cinque anni, e cinque quarantene; e a quelli, che impediti dall' accompagnarlo reciteranno un *Pater*, ed un' *Ave*, concede cento giorni d' Indulgenza.

Innocenzo XI. Constit. *Injunctum* 10. *Octobris* 1672. a tutt' i Fedeli, che devotamente accompagneranno il SS. Sacramento, quando si porta agl' Infermi per Viatico, pregando per la concordia de' Principi Cristiani, estirpazione dell' Eresie, ed esaltazione della S. Madre Chiesa, concede ogni volta sette anni, e sette quarantene, se l' accompagneranno col lume; e cinque anni, ed altrettante quarantene, se l' accompagneranno senza lume, dichiarando poi, che queste Indulgenze non si concedono cumulativamente colle altre già prima concedute per quest' Opera pia, ma privativamente.

Innocenzo XII. a tutt' i Fedeli, che legittimamente impediti, non potendo accompagnare il SS. Sacramento, quando si porta agl' Infermi, manderanno un lume, o fiaccola da portarsi da altri, e pregheranno come sopra, concede ogni volta tre anni, ed altrettante quarantene d' Indulgenza. *Constit. Debitum* 5. *Januarii* 1695.

Paolo V. a tutt' i Fedeli, che intervengono alla Processione del SS. Sacramento solita farsi ogni mese, concede duecento giorni d' Indulgenza. *Constit. cit.*

Indulgenze concedute a tutt' i Fedeli, che onorano il SS. Sacramento nella Festa, ed Ottava del Corpus Domini.

Urbano IV. nella Costituzione I. *Transiturus* 1262. confermata nel Concilio generale Viennense sotto Clemente V., e riferita nel *cap. unic. de Relig.*, *& le-*

& Venerat. Sanctor. in Clementin. concesse varie Indulgenze a tutt' i Fedeli, che onorano il SS. Sacramento nella Festa, ed Ottava del *Corpus Domini*, le quali furono accresciute da Martino V. *Constit. XII. Ineffabile 26. Maii* 1429, e da Eugenio IV. *Constit. VI. Excellentissimum. 26. Maii* 1433., e sono le seguenti.

A tutt' i Fedeli, che assistono in Chiesa al Mattutino nella Festa del *Corpus Domini*, si concedono quattrocento giorni d' Indulgenza. La medesima Indulgenza si concede a quelli, che assistono alla Messa, o ai primi, oppure ai secondi Vespri della stessa Festa.

A quelli, che assisteranno nella detta Festa alle altre Ore, cioè Prima, Terza, Sesta, Nona, e Compieta, si concedono per ogn' una delle stesse Ore cento sessanta giorni d' Indulgenza.

I Vescovi, ed altri Prelati Superiori, che legitimamente impediti non possono intervenire ai Divini Officj, goduno le medesime Indulgenze.

A tutt' i Fedeli, i quali fra i giorni dell' Ottava del *Corpus Domini* assistono al Mattutino, si concedono ogni volta duecento giorni d' Indulgenza.

A chiunque ne' giorni della stessa Ottava assisterà alla Messa, si concede ogni volta la stessa Indulgenza; e così pure a chiunque assisterà ai Vespri.

A quelli, che assisteranno nei giorni dell' Ottava alle altre Ore Canoniche, per ogn' una di esse Ore si conceduno ogni volta ottanta giorni d' Indulgenza.

A tutti quelli, che pentiti, e Confessati digiuneranno nel giorno avanti la Festa del *Corpus Domini*, o in luogo del Digiuno eserciteranno altra opera pia, secondo il consiglio del Confessore, si conceduno duecento giorni d' Indulgenza.

La stessa Indulgenza di duecento giorni si concede a tutti quelli, che accompagneranno la Processione del *Corpus Domini* nel giorno della Festa.

Parimente una simile Indulgenza di duecento giorni viene conceduta a tutt' i Sacerdoti, i quali nella Festa suddetta, o fra l' Ottava celebreranno la Santa Messa, pregando per la pace, e tranquillità della Chiesa.

Finalmente a tutt' i Fedeli, che nel giorno della Festa riceveranno la Santissima Comunione, si concedono duecento giorni d' Indulgenza.

AD CAPUT V.

De Sacrificio Missæ.

N. V.

Citat. eod. Cap. num. 6., & 13., & Cap. XIX. num. 7.

NOTIFICAZIONE

D. MERCURIALE PRATI dell' Ordine di S. Benedetto, della Congregazione di Vallombrosa, Patrizio, e per la Grazia di Dio, e della S. Sede Apostolica Vescovo di Forlì, della Santità di N. S. Prelato Domestico, ed al Solio Pontificio Assistente.

ABbiamo avuta occasione di vedere nel decorso della Nostra Visita Pastorale molte mancanze, e contravvenzioni alle Leggi Sinodali tutt' ora veglianti, rapporto agli obblighi di Messe, o per non essere state celebrate in conto alcuno, sino da molto tempo addietro, o per non essersi celebrate ne' giorni assegnati, o finalmente perchè i Sacerdoti, a' quali sono addossati tali pesi, non segnano il loro Nome, Cognome, e Giornata nelle Vacchette esistenti nelle respettive Sagrestie.

Quindi è, che desiderando Noi, che siano esattamente osservate le Costituzioni Sinodali del degnissimo Nostro antecessore Monsig. Piazza, comandiamo a tutt' i Sagrestani, che sieno diligenti nel mettere in esecuzione quanto si ordina nel prelodato Sinodo, e ogni mattina sul mezzo giorno rincontrino le Vacchette degli obblighi delle Messe, nelle quali trovandovi qualche mancanza, tirino subito la linea nel luogo, in cui dovrebbe esservi notato il nome del Sacerdote, che ha il peso di celebrare per il respettivo obbligo, acciocchè possa rilevarsi la sua negligenza. Così ancora gli stia a cuore di fare in modo, che ciascuno celebri a quell' Altare, a cui è eretto il Beneficio, o Capellania, o pure è comandata la soddisfazione del Legato, denunciandoci quelli, che non volessero ubbidire, e contravvenissero a queste Leggi.

In caso poi di contravvenzione, esigeremo tanto da' Sacerdoti, che non fanno il loro dovere, quanto da' Sagrestani la multa prefissa nel lodato Sinodo, passando sopra alle inconvenienze praticate fin' ora, purchè quelli, i quali si trovassero mancare nella celebrazione delle Messe, nel termine di un mese dalla data della presente Notificazione, le abbiano rimesse, sotto pena di due Paoli per Messa non celebrata, da pagarsi nelle mani del Nob. Sig. Co: Fabrizio Merenda Depositario delle Multe, da applicarsi ad usi pii. Sarà cu-

ra

ra de' respettivi Sagrestani, o Parrochi di avvisare que' Secolari, che sono tenuti alla soddisfazione degli obblighi, che si trovano mancanti, al qual' effetto esibiranno le loro Vacchette al Nob. Sig. Primicerio Framonti Revisor Generale de'.Legati Pii, nel termine di un mese, da computarsi dalla data di questa, dopo la quale esibita si procederà con tutto il rigore contro quelli, i quali non avranno osservato esattamente quanto nella medesima si comanda.

Perchè poi sia più esatto ognuno nel adempiere il proprio dovere, vogliamo, che si esibiscano le respettive Cartelle al Nostro Sig. Vicario Generale ogni tre Mesi; ed acciocchè non si affollino tutti in un giorno, si fissino tre giorni della prima settimana del Mese, come si vedrà qui sotto.

Ricordiamo inoltre a' predetti Sagrestani, e Rettori di Chiese di non permettere, che alcun Sacerdote celebri senza la Vesta talare con maniche, se sarà nella Città, o luogo murato della Nostra Diocesi, oppure di quelli soliti a venire spesso ai mercati, a' quali si proibisce sotto le divisate pene di prestare la Veste senza maniche, che suole ritenersi nelle Sagrestie a comodo de' Sacerdoti forestieri. Molto meno poi dovranno permettere, che si accosti all' Altare alcuno con abito di colore indecente ad un Sacerdote, o con veste sordida, e lacera, overo con Casacchino da Caccia, o con Calzette di colore diverso dal nero, come purtroppo sappiamo con Nostro sommo rammarico essere qualche volta accaduto in questa Nostra Diocesi. In tali casi procederemo tanto contro i Sacerdoti, che contravverranno, quanto a chi presterà il comodo alla trasgressione di questi Nostri Ordini.

Vogliamo similmente, che non si permetta ad alcun Sacerdote tanto in Città, quanto in Campagna di assistere ai Divini Officj, o servire nelle Sagre Funzioni, o andare alle Processioni senza Veste talare, e Cotta, che pure vogliamo si porti da tutti quelli, che assistono ai Funerali, (altrimenti non possano percepire l' emolumento tassato, e solito a darsi in simili casi) eccettuato il tempo, che corre tra la Festa di tutt' i Santi, e la Pasqua di Resurrezione, nel qual tempo, in Campagna soltanto, si potrà tollerare l' abito lungo senza maniche, cosa però, che non permettiamo nella Città, e luoghi murati. Nel resto ci riportiamo all' Editto stampato nell' Apendice del Sinodo Piazza de' 4. Gennajo *1764.*, riservandoci poi di punire ancora con altre pene i contravventori, a misura delle loro trasgressioni.

Abbiamo inoltre veduto con Nostra ammirazione, che nelle Processioni, in quelle specialmente delle Rogazioni, vanno i Sacerdoti tanto Secolari, che Regolari vagando per le strade, ed anche nelle Botteghe, nel tempo, che si canta la Messa nelle Chiese delle respettive Stazioni, e però sappiano essere ciò cosa assai indecente, contraria al fine di tal divozione, e di scandalo, perchè i Sacerdoti, e Chierici, essendo vestiti con Cotta, prostituiscono l'Abito Sagro, che non è fatto per portarsi fuori di Chiesa, nè per trattenersi in discorsi oziosi ne' luoghi pubblici, per il che comandiamo, che tutti quelli, i quali intervengono alle dette Processioni, restino in Chiesa, nè si facciano vedere sparsi per le strade, e sulle piazze, o nelle botteghe, dichiarando di voler punire i Trasgressori con pene corrispondenti alla loro mancanza, e qualità di Persone a Nostro arbitrio. A' Chierici poi, che contravverranno a

quest' Ordine, daremo più esatto castigo, e non ne saranno esenti quelli, i quali sono vestiti col Sacco di qualche Compagnia.

E' Nostra volontà finalmente, che questa Notificazione si tenga affissa in tutte le Sagrestie delle Chiese sì di Città, che di Campagna, non solo Parrochiali, ma anche in quelle Chiese, ove sono obblighi di Messe, sotto pena di Paoli tre; e così pubblicata obblighi ciascuno all' osservanza di quanto in essa si contiene, come ne avesse avuta la personale intimazione, dichiarando di più, che abbia forza, e vigore di speciale, canonica, perentoria ammonizione, per cui si possa procedere all' esecuzione, senza premettere alcuna Citazione, o Intimazione.

Data dall' Episcopio questo dì 8. Settembre 1791.

M. VESCOVO DI FORLI'.

Giorni, ne' quali si dovranno presentare le Cartelle degli Obblighi delle Messe delle respettive Chiese.

Gennajo. Il primo Lunedì, purchè non sia Festa: La Cattedrale, S. Biagio, e altre Chiese esistenti nelle dette Parrocchie.

Il primo Mercoledì: Il Suffragio, S. Lucia, S. Maria in Piazza, e S. Martino.

Il primo Venerdì: La SS. Trinità, S. Antonio nuovo, Schiavonia, e Ravaldino, con le Chiese respettive delle nominate Parrocchie.

Cadendo qualche Festa ne' descritti giorni, si trasporti al primo giorno feriale immediatamente seguente, e così si pratichi ogni tre mesi, sotto pene arbitrarie, da incorrersi irremissibilmente, anche per la prima contravvenzione.

Ignazio Baronio Cancel. Crim. Vescov.

AD

AD CAPUT VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

N. VI.

Citat. eod. Cap. num. 7.

MONITUM

Ad Nostros Parochos, & Confessarios de modo, quo se gerere debeant, cum pro suis Pœnitentibus ad Sacram Pœnitentiariam Apostolicam confugiunt.

Non raro evenit, ut Parochi, vel alii Confessarii modum ignorent, quo possint, ac soleant obtineri a Sacra Pœnitentiaria Absolutionis, vel Dispensationis Litteræ. Idcirco aliqua hic notatu digna recensere duximus opportunum, ne proprios Pœnitentes, vel ad Episcopos remittere, vel ad alios hujus rei peritos Confessarios cogantur, quod ut plurimum ad ruborem (fœminas præsertim) adduceret, omnesque alios in graves difficultates, ac molestias conjiceret. Ne vero etiam contingat, ut Litteræ jam a Sacro Tribunali obtentæ evadant irritæ, suoque effectu careant, summa quædam Capita, quæ subjicimus, Parochi, & Confessarii observabunt; ea enim hoc in loco sufficere putamus ad quorumdam quidem socordiam vincendam, ad aliorum autem diligentiam excitandam, ut unusquisque, pro re nata noverit tum peritiores interrogare, tum Libros consulere, præsertim Institutionem Lambertini, quæ subest num. LXXXVII.

Cum itaque ante ipsos se sistit Pœnitens irretitus casu aliquo ad dictum Tribunal spectante, diligenter rem totam exquirant, atque explorent, utrum veritatem sincere aperiat, qua in exploratione plurimum insistant. Animadvertant genus Censuræ: facti circumstantias omnes investigent: Pœnitentis conditionem interrogent, num sit Clericus, aut Laicus; num Regularis, aut Sæcularis; num Monialis; num uxoratus, aut Cælebs &c. Inquirant, utrum casus, per quem contracta est Censura, sit publicus, aut vere occultus.

Quod pertinet ad Irregularitatem, perpendant utrum ex delicto provenerit, & ex quo delicto, an scilicet ex violatione Censuræ, an ex homicidio, aut mutilatione, an vero profecta sit ex defectu, & ex quali defectu.

In Matrimonii Impedimentis accurato pariter examine utantur, videlicet, quale sit Impedimentum: an revera sit occultum: an sit jam contractum, an vero adhuc contrahendum Matrimonium.

Numquam hisce in rebus omittant investigare, quam Pœnitens causam afferat,

ferat, cur Dispensationem petat, quæ causæ investigatio maxime necessaria est, dum agitur, tum de eo Clerici percussore, qui romanum iter pro Absolutione aggredi non potest, tum de Voti commutatione, pro qua non solum causæ sunt allegandæ, sed explicandum etiam est, ad quem effectum Dispensatio Voti petatur.

His diligenter peractis, ac totius rei serie optime perspecta, casum scribant charactere, qui legi possit, lingua sive latina, sive cujuslibet regionis vernacula: inutilia omittant: taceant nomen, & cognomen Pœnitentis (dummodo non agatur de Censuris contra publicos percussores Clericorum, & contra Duellantes in publico, quibus in casibus nomen, cognomen, & Diœcesim exprimere debent). In occultis vero semper nomen, & cognomen reticendo, solum notent N. N. Casum ita descriptum Romam directe mittant, cum hac Inscriptione.

Eminentissimo, ac Reverendissimo D. D. Cardinali Majori Pœnitentiario.

UT autem Eminentissimus noverit quo, & qua via Responsum suum dirigat, Parochi, vel Confessarii scribentes, propriumque nomen, & cognomen aperientes, in hunc fere modum finem Litteris suis imponant.

Dignetur Eminentia Vestra rescribere N. N. in Civitate N. pro Oppido N.

NOtum est Sacram Pœnitentiariam sua Responsa inscribere consuevisse Doctori Theologiæ, vel Canonum pro Litterarum apertione, & exequutione. Hæc Inscriptio erit in Litteris iisdem intus contentis. Si talis Doctor in Civitate, vel Oppido, aut in vicinia non reperiatur, sive Pœnitens, qui semel Parocho, vel Confessario non graduato aperuit Conscientiam suam, vereatur, ac erubescat iterum alteri aperire, hoc ipsum in Litteris ad Eminentissimum mittendis significetur, cujus Tribunal hac, vel alia de causa jam consuevit (ut est in citata Lambert. Institutione LXXXVII. n. 29.) ejusmodi exequutiones, non tantum Parochis, sed quibuscumque Sacerdotibus committere.

Porro cum possit aliquando evenire, ut Epistola Romam missa deperdatur, si revera hoc contigisset, quod ex nimia Responsi dilatione conjici poterit, tunc iterum ad Eminen. scribatur, repetendo, quod in prima Epistola expositum fuerat.

Tandem cuicumque a Summo Pœnitentiario fuerit Litterarum exequutio demandata, is diligenter animadvertat earumdem Litterarum clausulas, easque sæpius percurrat, & accurate scrutetur, ne si illas leviter inspiciat, & in exequutione negligat, irritam faciat Dispensationem, atque exequutoris culpa miseri Pœnitentes vinculis, & impedimentis suis illigati permaneant. Quam multæ possint, ac soleant esse pro casuum varietate hujusmodi clausulæ, constabit legenti citatam Lambertini Institutionem a n. 34. Quam multas exposcat Casus expositus, ipsæ Eminen. Pœnitentiarii Litteræ demonstrabunt.

Exem-

Exempla pro Casibus Voti, Irregularitatis, vel Impedimenti exponendis.

N. N. Mulier post emissum Castitatis perpetuæ Votum, gravibus contra Castitatem tentationibus sentit se esse obnoxiam, ex quibus vel exoritur, vel exoriturum prævidetur incontinentiæ periculum: propterea humillime supplicat pro dispensatione ad effectum nubendi.

N. N. Sacerdos clam occidit hominem laicum. Homicidium, quod ob talem, vel talem causam, tali, vel tali modo commisit, vel procuravit, est revera occultum. Missam interim celebravit, atque alia Ordinum ministeria exercuit, vitandi scandali causa vel ne se proderet (*si id non fecerit*, dicatur) Missam non celebravit, vel alia Ordinum ministeria non exercuit, at cum ab his abstinere diu, sine scandalo non possit, humillime supplicat pro remedio.

N. N. contraxit Matrimonium cum Muliere sibi conjuncta in primo Affinitatis gradu; conscius (vel nescius) talis Impedimenti, quod occultum est. Quare cum grave scandalum oriretur, si separarentur, humillime supplicant pro Dispensatione.

N. VII.

Citat. eodem Cap. num. 7.

CONSTITUTIO GREGORII XV.

In qua confirmatur, & ampliatur Constitutio Pii IV. contra Sollicitantes ad turpia in Sacramentali Confessione.

UNiversi Dominici Gregis curam, quamquam immeriti cœlesti dispositione gerentes, sedulo invigilare tenemur &c.

Quoniam autem a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christifideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet, ut aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas Confessiones deputatus, Sacrosancto Penitentiæ Sacramento, sollicitando Pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex Cœlesti Medico Infernalis veneficus, ex Patre Spirituali proditor execrabilis Animarum reddatur, idcirco Nos ea, quæ his perniciosissimis Diaboli insidiis arcendis in certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus.

Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de.

de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdotes, tam Sæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cujuscumque dignitatis, ac præminentiæ, aut quovis Privilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, aut inhonestos Sermones, sive tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquisitionis severissime, ut infra puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, & Locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum universi Orbis Cristiani in suis quemque Diœcesibus, & Territoriis, per has Nostras Litteras, etiam privative, quoad omnes alios specialiter, ac perpetuo Judices delegamus, ut super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, nec non Officii Inquisitionis hujusmodi Constitutiones, Privilegia, Consuetudines, & Decreta diligenter inquirant, & procedant; & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis suspensionis ab executione Ordinis privationis Beneficiorum, dignitatum, & Officiorum quorumcumque, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & passivæ si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & Carceris etiam in perpetuum, absque ulla spe gratiæ, & si delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ Sæculari puniendos tradant.

Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus, etiam singularibus, concurrentibus præsumprionibus, Indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, & Curiæ Sæculari, ut præfertur, reum tradendum esse pronunciandi.

Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis Litteris prædictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque, mandantes omnibus Confessariis, ut suus Pœnitentes, quos noverint fuisse ab illis, ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut prætertur, tractantes Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis. Quod si hoc Officium prætermiserint, vel Pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra, iidem locorum Ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

BENE-

CONSTITUTIO BENEDICTI PP. XIV.

In qua confirmatis Litteris in forma Brevis Gregorii XV. contra sollicitantes, interdicitur, ne aliquis Sacerdos, extra casum extremæ necessitatis Confessionem Sacramentalem Personæ complicis in Peccato contra sextum Decalogi Præceptum commisso excipere audeat.

Sacramentum Pœnitentiæ, quam secundam post naufragium deperditæ Gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, &c. ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, præfatas Litteras hujusmodi, ac omnia, & singula Decreta prædicti ad illarum interpretationem, & declarationem emanata Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum universi Orbis Christiani, in suis respective Diœcesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant, & procedant contra omnes, & singulos Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares quomodolibet exemptos, & Sedi Apostolicæ immediate subjectos quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuscumque Dignitatis, Præeminentiæ, aut quovis Privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque Persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta, & turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint, & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, severe animadvertant, per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii Prædecessoris Nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus; dantes etiam, si opus sit, & rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat, ob probationum defectum impunitum, in præfata Constitutione, tributam, procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones indicia, & alia adminicula concurrant.

Meminerint præterea omnes, & singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab illis, ut supra sollicitatos, sedulo monere, juxta occurrentium Casuum circumstantias, de obligatione denunciandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis prædictis, Personam, quæ sollicitationem commiserit, etiam si Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollici-

licitatio inter Confessarium, & Pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi Pœnitens consenserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, Sacramentalem Absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, & Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis insimulant; Ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque Persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam innocentes Confessarios impie calumniando, vel scelerte procurando, ut id ab illis fiat, a quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præter quam a Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Successoribus prædictis reservamus, perpetuo careat.

Auctoritate Apostolica, & Nostræ potestatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque Personam ab hujusmodi culpa absolvendam adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentes has Nostras adimere intendimus; & nihilominus si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque Excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilei, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti, Confessionem dicti Complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique Sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, & in hoc casu, nullus Confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, & Pœnitentis genere, jurisdictione, ut præfertur, careat, & absolvendi facultate a Nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo, & approbato &c.

Datum Romæ Anno 1741. Kal. Junii Anno primo.

Decla-

Declaratio Constitutionis, quae incipit Sacramentum Pœnitentiae Anno 1741. edita.

Benedictus PP. XIV. ad futuram rei memoriam.

APostolici muneris partes in procuranda præcipue rerum Sacrarum pura, illibataque penitus administratione versari probe intelligentes &c. motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem Constitutione singulis, ut supra Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, ita interdici re ipsa, & prohiberi prædicto modo tunc audire, & absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiam si forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive alias ad Confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex Confessionem excipere, ac absolutionem impertire: Porro si casus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto articulo Personæ Confessionem vocari, aut accedere sine gravi aliqua exoritura infamia, vel scandalo nequeat, tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret, ac proinde in eo rerum statu non prohiberi Socio criminis Sacerdoti absolutionem Pœnitenti ab eo quoque crimine impertire. Sciat autem complex ejusmodi Sacerdos, & serio animadvertat, fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam Nostram Constitutionem inobedientiæ, latisque in ea pœnis obnoxium, si prædictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt: Immo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confessionis absque ullius infamia, vel scandalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ Nostræ Constitutionis declaramus, & nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus, & præcipimus. Quod si idem Sacerdos, aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut ubi infamiæ, vel scandali periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita Personæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, constitutæ, Sacramentalem Confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut præmittitur, necessaria causa cogente, præsumpserit, quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte Pœnitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requisitæ non defuerint, nun intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat; Nihilominus Sacerdos ipse violatæ ausu ejusmo-

di temerario Legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Constitutione majorem Excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reservatam incurrat, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Datum Romæ die 1. Februarii anno 1745. anno 5.

BENEDICTI PP. XIV.

Constitutio, qua vetantur Confessarii exquirere a Pœnitentibus Complicum Nomina.

SUprema omnium Ecclesiarum sollicitudo, & Divina Jesu Christi omnium Pastorum Principis, cujus vices plane immerentes gerimus, Charitas assidue urget Nos &c. Pervenit enim haud ita pridem ad aures Nostras, nonnulla istarum partium Confessarios falsa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perversam quamdam, & perniciosam praxim in audiendis Christifidelium Confessionibus, & in saluberrimo Pœnitentiæ Sacramento administrando invehere, atque introducere cœpisse, ut videlicet, si forte in Pœnitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem Pœnitentibus socii ejusmodi, seu complicis nomen passim exquirerent, atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur, sed quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, Absolutionis Sacramentalis negatione, prorsus adigerent, atque compellerent. Immo etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari. Quam illi quidem intollerandam imprudentiam tum procurandæ complicis correctionem, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi vel falsas, & erroneas sequendo, vel veras, & sanas male applicando, perniciem, tam suis, quam Pœnitentium Animabus consciscerent; ac sese præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facile consecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo Æterno Judice constituerent. Et vero jam secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experientia compertum est; nec fieri potuit, quin ea de causa, & oblocutiones, & scandala, & non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius Ministerii odium, & animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta sint. Nos autem, ne in tam gravi Animarum discrimine ulla ex parte Apostolico Nostro Ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re Nostram apud Vos obscuram, & ambiguam esse sinamus, notum Vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eademque a Nobis per præsentes Nostras in forma Brevis Litteras reprobari, atque damnari, tamquam scandalosam, & perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad Sacrosancti Sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo, & necessario usu Fideles abalienantem. Dat. Romæ die 7. Julii 1745. Anno 5.

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Constitutio, qua confirmantur Litteræ jam editæ adversus Confessarios exquirentes a Pœnitentibus Complicum nomina, & pœnæ in delinquentes statuuntur, cum præfinitione Ordinis procedendi in hujusmodi causis.

UBi primum de perversa quadam, & absurda praxi in Sacramento Pœnitentiæ administrando apud nonnullos Confessarios &c.

Statuentes insuper, ac decernentes, ut quicumque cujusvis status, gradus, conditionis, dignitatis, & ordinis, etiam speciali, & individua, ad effectum ut hisce Nostris præsentibus comprehendantur, mentione, & expressione digni ausus imposterum fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim, prout ea in relato Nostro Brevi exponitur, ac reprobatur; vel scribere, aut loqui præsumpserit in ejusdem damnatæ praxis defensionem, vel ea, quæ in dicto Brevi contra eamdem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere, seu interpretari, incidat ipso facto in Excommunicationem, a qua non possit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis, vel a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Et quia non modo cavendum est, ut quæ sunt a Nobis in præinsertis Litteris decreta ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatione salva sint, & immunia, verum etiam ne quis in Sacramenti Pœnitentiæ administratione ab eorum omnimoda observantia unquam recedat, idcirco omnibus, & singulis Confessariis utriusque Cleri tam Sæcularis, quam Regularis quantumvis exemptis, & quacumque speciali, & expressa mentione alias fortasse nominandis, graviter, & districte, Divini interminatione Judicii, atque in virtute Sanctæ Obedientiæ prohibemus, ne conformiter ad prædictam reprobatam praxim Pœnitentes, qui peccatum, seu crimen aliquod, cujus socium, aut socios habuerint, ipsis in Tribunali Pœnitentiæ confiteantur, interrogare præsumant de nomine socii, seu complicis, loco habitationis, vel aliis hujusmodi adjunctis, seu circumstantiis, expressiorem, magisque individuam, ejusdem complicis concernentibus manifestationem eidem Pœnitenti, si manifestare renuerit, Sacramentalem absolutionem denegando; alioquin noverint sese ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum Confessionum, aliisque etiam gravioribus pœnis fore subjiciendos.

Præterea, quoniam contra damnatum hujusmodi exitialem abusum, ne cum Animarum pernicie radices agat, necesse ducimus, modum, ac formam etiam in foro externo procedendi, & ultrices adversus reos pœnas imponendi statuere, atque ordinare, omnesque super hoc exorituras, vel etiam jam exortas dissensiones componere, & penitus amputare, volumus, decernimus, ac declaramus, quod docentes, ut supra, licitam esse praxim a Nobis jam reprobatam, vel in ejusdem praxis defensionem scribentes, aut loquentes, vel ejusdem reprobationem in memorato Nostro Brevi contentam impugnantes, aut per-

que Sancti Officii prædicti cognitioni subjectum erit; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium per suspensionem ab audiendis Confessionibus, vel alias Canonicas, & legitimas pœnas, pro delicti modo animadvertere, ad Locorum Ordinarios in sua cujusque Diœcesi omnino spectabit.

His igitur circa ordinem, formam, modumque contra ejusmodi delinquentes procedendi, ut præfertur constitutis, ac suis unicuique Judici Ecclesiastico juribus assignatis, & distributis, hanc Nos deinceps regulam ab omnibus observari, ac custodiri volumus, & mandamus, si quando talia delicta reprehendi contigerit, quæ tamen haud umquam posthac eventura in Domino confidimus, accedente insuper præclara inclytæ Lusitanæ Nationis universæ erga Sedem Apostolicam observantia, & obedientia, nec non eximia tum istius Sanctæ Inquisitionis Officii, tum cujusque loci Ordinariorum nunquam defutura vigilantia. Quapropter quæcumque aliter, quam præsentibus Nostris decrevimus, & constituimus, sive in Edictis præfati Officii Inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis Ordinariorum mandatis, aut Pastoralibus Litteris, vel Decretis ante hac statuta prodierint, ea Nos, quoniam post Apostolicam hanc a Nobis propositam agendi, seu judicandi normam minus necessaria fore censemus, detinere jam, & cessare, ac veluti numquam emanassent, omnem obligandi vim amittere, motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, statuimus, atque sancimus.

Dat. in Arce Gandulphi 1746. quarto nonas Junii, Anno 6.

Instruzione nella materia delle Denunzie di Sollicitazione de' Confessori per la custodia del Sigillo Sacramentale.

Illustre, e Rmo Signore come Fratello.

LA Santità di N. S., e questi miei Eminentissimi Colleghi Generali Inquisitori considerando, che i Rei di sollicitazione nelle Sacramentali Confessioni facilmente possono incorrere o nelle spontanee comparse, o nei constituti, nella rivelazione delle Confessioni Sacramentali, senza fare riflessione alla violazione del Sigillo Sacramentale, ch'è de Jure Divino, e indispensabile per qualsisia gravissima causa, anco di Eresia, hanno perciò stimato espediente di rinnovare a cautela gli avvertimenti altre volte dati sì a V. S., che a tutti gli altri Vescovi, e Inquisitori d' Italia, acciò nelli processi di Sollicitazioni nelle Sacramentali Confessioni li pretesi Rei Sollecitanti, o sia nelle spontanee comparse, o nei constituti, non rivelino, anche innocentemente le Confessioni, con dire: *Confessandosi da me la tale di pensieri, o atti disonesti, le dissi &c.* Ma procedendo V. S. colla solita sua attenzione, ammonirà li sponte comparenti, o Rei constituiti a non deporre cosa alcuna, che concerna il Sigillo delle Sacramentali Confessioni de' Penitenti, ma di riferire solamente ciò, che riguarda il detto, o fatto di essi Sollecitanti, in occasione di avere amministrato il Sacramento della Penitenza, o immediatamente avanti, o dopo, o nel Confessionario, o sotto pretesto di Confessione, e perciò dovranno semplicemen-

mente i Sollecitanti deporre: *Confessandosi da me N. N. le dissi &c. o feci &c.* senza dir altro in ordine alla Confessione de' Penitenti; e se cadessero nel detto errore di rivelare le Confessioni, non si dovrà la loro deposizione in questa parte scrivere in Processo, e se mai per inavvertenza di qualche Ministro, che acremente correggerà, si trovasse scritta in qualche Processo, si dovranno cassare dalli Processi originali tutte quelle circostanze, che riguardano la detta rivelazione di Confessioni Sacramentali. Così colla sua solita attenzione dovrà V. S. regolarsi, e il presente avvertimento comunicherà a tutt' i suoi Vicarj, che hanno facoltà di far Processi in materia di Fede, acciò colla dovuta attenzione invigilino all' esecuzione del presente Ordine. E Dio la prosperi.

Di V. S.

Roma 24. Marzo 1726.

Come Fratello F. CARD. PAULUCCI.

Instruzione quando, e come si possono delegare li Sacerdoti Confessori, per ricevere le Denunzie nelle materie spettanti al Sant' Offizio, senza Notaro.

Illustre, e Rmo Signore come Fratello.

Questa Sagra Congregazione del S. Offizio con sue Circolari de' 27. Settembre 1624., e 24. Gennajo 1667., che si conserveranno in cotesta sua Cancelleria, ha già conceduta a' Vescovi, ed Inquisitori la facoltà in materia di Sollecitazione di delegare in casi particolari li Confessori, quando le Persone sollecitate non possono disporsi a denunziare nella forma giuridica ordinaria, per ricevere anche senza Notaro le denuncie, con instruirli del modo di ben riceverle, e darli il giuramento *de silentio servando, & fideliter fungi munus commissum exercendo*. Ora Sua Santità, sentito il Voto di quelli Eminentissimi Colleghi, ha confermate, e nuovamente concedute a' Vescovi, ed Inquisitori le predette facoltà di delegare, come sopra, qualsisia Sacerdote approvato per le Confessioni Sacramentali, ma V. S. di dette facoltà, parcamente, e dopo aver procurato, che le Donne sollecitate denuncino nella forma giuridica ordinaria, si prevalerà; e Dio la prosperi.

Di V. S.

Roma 7. Luglio 1725.

Come Fratello F. CARD. GIUDICE.

Metodo di ricevere le Denunzie da' Sacerdoti Confessori, specialmente però delegati, in materia di Sollecitazione senza Notaro.

Si fa un Memoriale dalla Denunciante, per il quale narra aver da esporre cose pertinenti al Tribunale del S. Officio, che però prega Sua Signoria Illma com-

commettere a Persona Religiosa, che con ogni secreto vada a ricevere la Denuncia nel tal luogo affine di liberare da ogni scrupolo la Coscienza di essa supplicante, sottoscrivendo a piè del Memoriale il Nome, e Cognome di essa esponente, potendo mandarsi detto Memoriale per il Confessore al Prelato, il quale udendo dire, che se le ha da proporre Negocio spettante alla Santa Inquisizione, deve riceverlo con grandissimo segreto, assumendo almeno due persone gravi, religiose, e zelanti, delle quali una se ne servirà, per scrivere gl' atti, che occorrono, come sarebbe.

Die Mense Anno in Palatio Episcopali N. in aula interiori ejusdem solitæ habitationis Illmi, & Rmi D. Episcopi N. coram eodem prædicto Illmo D., assistente R. D. N. Canonico Cathedralis N., & in præsentia mei D. N. Sacerdotis Ecclesiæ N. actuarii assumpti ad hunc actum, comparet R. P. Fr. N. N. Professus Sacerdos Theologus Ordinis N. exponens videlicet.

Vengo avanti V. S. Illma a portarle questo Memoriale contenente negozio del S. Officio, consegnatomi da N., N., il quale con occasione, che io sono andato a confessare alla Chiesa N. mi è stato dato da lei, affine, che io con ogni secreto lo presenti a V. S. Illma, acciò deputi una Persona, che riceva la denuncia di questa supplicante, la quale mi ha detto, che se venisse di persona, darebbe da sospettare altri negozj a suoi parenti, che le potrebbe cagionare danno grave:

Ovvero se la supplicante non saprà scrivere, potrà inviare detto Religiogioso a dire a bocca tutto ciò, che chi sa scrivere direbbe per Memoriale; e si procederà nel modo, come di sopra dal Prelato, mutatis mutandis.

L' Attuario noterà ogni cosa per extensum.

Tunc Illmus D. prædictus commisit eidem P. Fr. N. N. Professo Religionis N., ut accedat ad locum N., ad finem accipiendi denunciationem faciendam a N. N. juxta instructionem Tribunalis S. Officii, quam præcepit sibi dari a me Notario assumpto, exacto prius Juramento, tam a prædicto R. P. N. N., tangendo, prout tetigit Sacra Evangelia, & pro veritate omnium supradictorum, & pro bene, & fideliter recipienda denunciatione sibi danda, ac suo silentio omnia retinendi, quam a Nobis assistentibus, & a me de non præsentia propalando, nec in totum, nec in partem, prout juravimus, tactis Sacris prædictis Evangeliis; imponendo dicto Patri, & Nobis de toto præsenti negocio silentium, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, statim incurrendæ in casu contraventionis, reservatæ eidem Illmo D. respectu assistentis, & mei ipsius, & SSmo D. Papæ respectu prædicti R. Patris, & fuit dimissus cum mandato, ut omnes subscribamus.

Ego P. Fr. Professus Ordinis N. N. Theol. Prof. prædicta omnia exposui. Ego N. N. Canonicus Ecclesiæ N. assistens deputatus interfui. Ita est Sacerdos Ecclesiæ N. actuarius assumptus ad hunc actum ab Illmo D. N. Episcopo N.

Il Delegato dal Vescovo anderà con carta, e calamajo, se non potrà accompagnarsi col Notaro predetto, o assistente, almeno esso solo, nel luogo, tempo, e giorno, più opportuno, per osservanza del Secreto, e venendo la denunciante, ha da scrivere nel seguente modo.

Die Mense Anno in tali loco

Si avverta, che sia fuori del Confessionario; e non potendosi, si noti il luogo, *ubi solent Sacramentales Confessiones excipi (sed hæc omnia extra Sacramentum Pœnitentiæ) comparet coram me N. N. Professo talis Religionis, qui de mandato Illmi, & Rmi D. Episcopi N. accessi ad finem &c., N. N. ætatis suæ annorum . . ., ut dixit & ex aspectu apparet, sæcularis, vel Monialis Professa, vel Bizoca, Vidua, quondam N. N., vel uxorata . . . Filia . . .* ponendo il nome del Padre, Madre, luogo, dove abita, professione, che esercita confini della Parrocchia, paese, o tempo, che ne manca, statura, pelo, segnali, ed altre circostanze, che possono descrivere la Persona, quando non fosse ben nota alla Corte Vescovile = *sponte, non citata, neque vocata, quæ medio ejus Juramento sibi per me dato, tactis Ss. Evangeliis mei Breviarii, prout tetigit, de veritate dicenda, prius monita de gravitate ejusdem, fuit interrogata, ad quid venerit, quæ respondit.*

Sono venuta, come dissi a V. R. la settimana passata, che mi volevo sgravare la Coscienza, giacchè mi ha lei detto, che sono obbligata denunziare il Confessore, che mi ha parlato di cose brutte, quando mi confessavo, desidero sapere, se ha parlato a Monsig. Illmo, e che le ha detto.

Cui a me fuit dictum habere in commissis recipiendi formiter suam denunciationem, & proinde pro exoneratione suæ conscientiæ explicite fuit interrogata, ut dicat, quidquid sibi occurrerit circa prædicta a se superius nominata: Respondit; e si pongono le sue proprie parole volgari, che dice; ben vero siano chiare, ed esplicative, il Confessore sollecitante, per Nome, Cognome, Religione, o dignità, giorno, mese, anno, volte che sollecitò, segni, contrasegni, abitazione, luogo dove abita il Sollecitante, parole dette espresse, segni, *seu* atti fatti, tutte le circostanze, che conducono alla replicata chiarezza del Sollecitante, o sollecitazione.

Avvertendo, che se la Persona non si sapesse spiegare, il Deputato cogl' interrogatorj, che anderà facendo, farà spiegare le cose predette necessariamente.

Gl' Interrogatorj, benchè si diano in volgare, si scrivano in latino, V. G.

Interrogata quænam verba specialia, vel quosnam actus inhonestos fecerit prædictus N. Confessarius ipsi Testi exponenti &c. dicat explicite, & clare omnia?

Respondit, mi disse . . . .

Se la sollecitazione è di qualche tempo passato, se le dice:

Interrogata, quare prius non exoneravit suam conscientiam denunciando prædictum &c.?

Respondit &c.

Interrogata de contestibus?

Respondit: questo fatto è passato da solo a solo fra me, ed il detto N. N, mentre mi confessava nel Confessionario, come ho detto di sopra, e perciò non vi è Persona, che lo possa deporre.

Interrogata, an exerceat aliquam inimicitiam, vel aliquam exercuerit cum dicto N. N. Confessario, vel cum suis Consanguineis, aut amicis, vel e contra?

Respondit &c.

Inter-

Interrogata, cujus famæ sit prædictus N. N. Confessarius, & an audiverit aliquando ab illis similia prædictum N. N. patrasse?

Respondit &c.

Si avverta, che le risposta: *non mi ricordo*: non si ammette, ma si dimanda dopo quella; *& fuit dictum a me, ut bene recordetur &c.*

Se parlasse con ira, e passione grande, che dasse sospetto d'inimicizia, dal Notaro, o dal Deputato si noti: *videlicet, locuta est nimis iracunde &c. vel animate, aut temere.*

Interogata, an viderit ipsa comparens prædictum N. N. Confessarium fecisse aliqua opera spiritualia, videlicet orare, eleemosinas elargiri, Missas auscultare, & similia?

Respondit &c.

Quibus habitis ego ipse mandavi, ut se subscriberet, imponendo silentium, ut nullatenus alicui dicat se revelasse, & denunciasse prædicta in totum, vel in partem contra prædictum N. N. Confessarium sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ, reservatæ ipsi Illmo D. Episcopo (se sarà necessario) *SS. D. Papæ, & fuit dimissum examen, præstito denuo Juramento, tactis &c. prout tetigit, de silentio observando super prædictis.*

Io N. N. ho deposto di sopra; Ovvero: *& quia scribere nescit, fecit signum Crucis cum calamo a me dato.*

Ita est Ego N. N. Professus Ordinis N., de mandato Illmi &c. accessi, & interrogavi.

Ricevuta la scritta Relazione, il Prelato avverta conservarla con estremo segreto, se il caso sarà grave, ovvero fossero più rivelazioni contro uno stesso Confessore, potrà detto Vescovo farne copia, (avvertendo dare il giuramento, quando assume Persona molto grave per far detta copia) ed includer gl' Atti in una sua, che potrà scrivere alla Sagra Congregazione del S. Offizio di Roma, a fine, che gli ordini, come si ha a portare in tal caso, e chiegga l'instruzione per non errare: avvertendo di più non fare verun motivo contro il denunciato, acciò non penetri esser reo nel Tribunale, nè comunichi tal segreto al suo Superiore, o altro che sia nel mondo, perchè sarebbe errore grave in materia di S. Officio.

Le scritture sopra queste materie non si confidino a' Ministri, ma o si consegnino al Tribunale Supremo, ovvero si suggellino, scrivendovi sopra = Scritture, che appartengono al Tribunale del S. Officio, quali nessuno può aprire, lacerare, bruciare, o occupare, sotto le pene apposte nella Bolla di S. Pio V., che comincia = *Si de protegendis* =, cautelandosi, affine, che in vita detti negozj passino, come quelli del Sigillo Sacramentale, e si provveda, che in caso di morte non vadano in potere de' Commissari degli spogli, Ministri della Sede vacante, o Cortegiani de' Prelati defonti, quali per lo più pubblicano li negozi, o gli consegnano in mano della Parte per mercede. E questo basti per una breve, e facile Istruzione.

Circolare della Sagra Congregazione del S. Officio a tutti i Vescovi d' Italia, circa il non chiedere dai Sollecitati denunzianti il consenso da loro prestato nella Sollecitazione.

FIn da che la S. Mem. di Gregorio XV. colla sua Costituzione = *Universi* = de' 30. Agosto 1623., confermando la Bolla di Pio IV. = *Cum sicut* = de' 16. Aprile 1561. ordinò, che questo Tribunale procedesse contro i Confessori sollecitanti, come sospetti di Fede, nacque dubbio agli Ordinarj, ed Inquisitori sopra il modo di formare su tal materia i Processi, e con Lettera circolare de' 25. Luglio 1624. riferita dal *Card. Albic. al cap.* 35. *n.* 36., furono date le opportune Istruzioni.

Ma perchè sull' Interrogazione de' sponte comparenti, e denuncianti si era in progresso di tempo, senza la necessaria distinzione de' casi preso qualche equivoco, perciò li 16. Settembre 1728. si replicò la stessa Lettera Enciclica, non ostante la quale, avendo l' esperienza fatto conoscere, che vi sia bisogno di maggior spiegazione, hanno questi miei Eminentiss. coll' Oracolo di Nostro Signore comandato di trasmettere a V. S. l' annessa Istruzione, secondo la quale in avvenire dourà regolarsi, e invigilare ancora, che il simile sia praticato da ciascuno de' suoi Vicarj: ed il Signore la conservi.

Roma 29. Gennajo 1752.

F. CARD. RUFO Decano.

Istruzione da osservarsi ne' Processi di sollecitatione.

NE' delitti di Sollecitazione, chiunque formerà il Processo dourà star bene avvertito di non interrogare mai li Denuncianti sopra il consenso prestato in qualsivoglia modo all' atto turpe, sì perchè questo non li rende sospetti di Fede, sì perchè nessuno è obbligato, secondo le regole di ragione, a manifestare la propria turpitudine.

Non dourà neppure interrogarsi il Reo sponte comparente dell' effetto seguito, nè della Persona, la quale per qualsivoglia causa possa alla sollecitazione aver prestato il consenso, per la stessa ragione, che non essendo il Complice sospetto di Fede, non è tenuto rivelarlo, ad oggetto di essere colle debite salutari penitenze assoluto.

Parimente non dourà interrogarsi il Reo, ancorchè prevenuto da' Denuncianti, allora quando essi nelle loro denuncie non avessero ultroneamente, e senza alcuna interrogazione deposto dell' effetto seguito, e nemmeno si dourà scrivere, se il Reo volesse spontaneamente deporre del consenso da uno, o più di essi denuncianti prestato, mentre questa sua qualificata Confessione delle circostanze del caso proposto, sarebbe affatto inutile, attesochè non gli diminuirebbe la pena dovutagli per la Sollecitazione, ed all' incontro sarebbe di aggravio ad essi denuncianti.

Nel

Nel caso però, che quelli, li quali vengono a denunciare, volessero ultroneamente, e senza alcuna precedente interrogazione deporre della sollecitazione, e dell' effetto, in qualsivoglia maniera seguito, dourà scriversi quanto li Denuncianti depongono, trattandosi di una qualità, che aggrava il delitto, ed opera l' accrescimento della pena al delinquente, secondo le note Costituzioni, e Decreti Pontificj.

E per la stessa ragione della maggior gravezza del delitto, e della pena, se il Sollecitante spontaneamente comparirà, e prevenendo le denuncie, vorrà accusarsi della Sollecitazione, con l' effetto seguito, dourà scriversi quanto egli depone, affinchè sopravvenendo le denuncie con questa circostanza aggravante, non sia punito lo sponte comparente, come reo di questa sostanziale diminuzione, secondo la nota pratica del Sagro Tribunale.

Circolare della S. Congregazione de' Vescovi, che le Confessioni non si ascoltino fuori di Chiesa.

MI hanno questi Eminentissimi miei Signori comandato di scrivere a V. S., che onninamente sotto gravi pene, proibisca a tutti li Confessori di codesta Città, e Diocesi l' ascoltare le Confessioni Sacramentali fuori di Chiesa, se non ne' casi d' Infermità, per li quali i Penitenti non possono andare alla Chiesa. Tanto dunque eseguisca in conformità della precisa mente della S. Congregazione, ed il Signore la prosperi.

Di V. S.

Roma 6. Giugno 1687.

Come Fratello Il CARD. di Carpegna.

B. Panciatichi Segr.

Decretum S. M. Clem. Papæ X. quo cavetur Regulares non posse audire Confessiones in Domibus privatis.

Die 26. Julii 1674.

SAnctissimus D. N. Clemens X. in audientia vivæ vocis oraculo declaravit, ex sua Constitutione *Superna* cum illis verbis *absque limitatione temporis, certorumque locorum*, nullam facultatem fuisse tributam Regularibus audiendi Confessiones Sacramentales in privatis domibus, ac proinde minime licere eisdem Regularibus cujusvis Ordinis &c. Sacramentum Pœnitentiæ administrare in Domibus privatis extra casus a jure permissos, & Decretum prohibitionis in Diœcesana Synodo &c. esse omnino observandum, non obstantibus &c.

Datum Romæ die, & anno prædictis.

P. Fagnanus.

Circo-

Circolare della Sagra Congregazione del S. Officio d'ordine di Innocenzio XII., che i Confessori non si deputino giovani, ma di età, e d'intelligenza provetti; e questi non ascoltino le Donne avanti il Confessionario, ma dai lati di esso.

DA casi di scandalo con circostanze, che frequentissimamente occorrono a gravissimo danno delle Anime, nelle Confessioni Sacramentali, per parte de' Confessori, da' quali viene però convertito in veleno quello, che dovrebbe essere antidoto delle colpe, avendo la Santità di N. S. osservato quanto per ovviarli sia necessario alli Vescovi l'avere una attenzione la più precisa in eleggere Persone di proposito in Ministero di tanta importanza: Quindi è, che la Santità Sua col parere di questi Eminentiss. miei Colleghi Signori Cardinali Generali Inquisitori, ha stimato bene, che io con questa mia Circolare ne faccia a V. S. particolar premura, volendo, che da quì avanti Ella con ogni maggior studio, e diligenza, procuri, che tali Soggetti non *siano Giovani, ma di età, ed intelligenza provetti*, e bene morigerati, a' quali dourà strettamente ordinare, che non sentano le Confessioni, massime di Donne, avanti il Confessionale, ma dai lati di esso, ed in luoghi pubblici, ed esposti a vista di tutti, persuasa la Santità Sua della bontà, e zelo del suo carattere, che da Lei verrà in ciò appieno la sua mente adempita.

Roma 13. Dicembre 1694.

Circolare della Sacra Congregazione del S. Officio sopra gli Esorcismi, ed Esorcisti.

Illustre, e Rmo Signore, come Fratello.

ESsendo stati rappresentati alla Santità di N. S. li gravi disordini, che seguono dalla moltiplicità degl' Esorcismi, che quasi universalmente s' inventano, e si praticano dalle Persone destinate ad esorcizare, e volendo la medesima colla sua Pastorale sollecitudine dare a tali inconvenienti il necessario provedimento, uditi prima i pareri di questi miei Eminentissimi Colleghi Signori Cardinali Generali Inquisitori, ha stabilito, che per mezzo di questa Sacra Congregazione si ordini a tutti gli Arcivescovi, Vescovi, ed altri Ordinarj d' Italia, e delle Isole adjacenti, siccome colla presente si ordina a V. S., che in avvenire non permetta, che alcun Sacerdote tanto Secolare, quanto Regolare sia ammesso all' esercizio di Esorcista, senza che prima le costi della di lui pietà, integrità di vita, e prudenza, e senza che abbia tutte le qualità ricercate per tale amministrazione dal Rituale Romano.

Vuole inoltre Sua Beatitudine ch' Ella insista con tutta la sua attenzione, e vigilanza, acciocchè le Persone, che da Lei saranno stimate capaci di tal Ministero, si vagliano della direzione del sopradetto Rituale Romano, e che non

non preterifcano le Regole, che in quello si prefcrivono. Tanto V. S. dourà efeguire, per ubbidire efattamente alli Santi, e Supremi Ordini di sua Beatitudine; e Dio la profperi.

Di V. S.

Roma 25. Giugno 1710.

Come Fratello il CARD. MARISCOTTI.

Decretum Sac. Congr. Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpofitæ a Clem. XIII. P. O. M. approbatum.

UT Chriftifideles fcire poffint, quid fibi tenendum foret pro acquirendis Indulgentiis in fententiarum varietate, fuper intelligentia verborum *Qui vere pœnitentes, confeffi, ac Sacra Communione refecti Ecclefiam vifitaverint*, quæ, Indulgentiarum Brevibus inferi folent, in Sac. Cong. Indulgentiis, Sacrifque Reliquiis præpofita difcuffis die 31. Martii prox. præter. nonnullis dubiis, eadem Sac. Congr. fuit in voto Confeffionem Sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum confecutione peragi omnino debere etiam ab iis, qui lethalis peccati confcii non funt, nec non præfatam Confeffionem fuffragari etiam poffe, fi expleatur in Vigilia Feftivitatis.

Quod autem ad Ecclefiæ vifitationem fpectat, eam impleri poffe five ante, five poft aliorum piorum operum implementum.

Factaque de iis per me infrafcriptum ejus Sac. Congr. Secretarium relatione Smo D. N., Sanctitas Sua ejufdem Sac. Congr. votum benigne approbavit, illudque publicari mandavit, quibufcumque in contrarium facientibus non obftantibus.

Datum die 19. Maii 1759.

Fr. G. CARD. PORTOCARRERo *Præf.*

A. E. Vicecomes Secretarius.

Aliud Decretum Sac. Congr. Indulgentiis, & Sacris Relliquiis præpofitæ, quoad Confeffionis neceffitatem pro Indulgetiarum confecutione.

QUum Sac. Congr. Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpofita die 31. Menfis Martii anno 1759. fuerit in voto, Confeffionem Sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiæ confecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui fibi lethalis peccati confcii non funt, nec non præfatam Confeffionem fuffragari etiam poffe, fi in Viigilia Feftivitatis expleatur; Votumque Congregationis Smus D. N. Clemens Pp. XIII. benigne approbaverit, illudque Typis publicari fub datum 19. Martii prædicti anni mandaverit, quam plures fuppli-

supplices libelli tum Regularium Communitatum, & præsertim Monialium, tum etiam Parochorum, & nonnullorum Episcoporum pro suis Dioecesibus porrecti fuit, quibus maxima exponebatur difficultas, quæ interdum, immo persæpe incidit pro Sacramentali Confessione, sive in Festo, vel ad minus in Vigilia peragenda. Quamobrem, ut adeo proficuus Indulgentiarum Thesaurus reddatur Fidelibus accomode comparandus, enixis precibus supplicabant Sanctitati Suæ, ut opportuno aliquo remedio, de Apostolica Benignitate providere dignaretur: quibus precibus ad prædictam Sacr. Congr. remissis, propositum in ea fuit dubium = *An, & quomodo sit consulendum SSmo super præfati Decreti executione, vel declaratione in casu &c.*, *& responsum fuit = Consulendum SSmo D. N.*, *ut concedere dignetur Indultum omnibus Christifidelibus, qui frequenti peccatorum Confessione animam studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt; & nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam Confessionem commissæ sibi conscii sunt, ut omnes, & quascumque Indulgentias consequi possint, etiam sine actuali Confessione, quæ ceteroquin juxta præfati Decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria est. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Jubilæi, tam ordinarii, quam extraordinarii, aliasque ad instar Jubilæi concessas, pro quibus assequendis, sicut & alia opera injuncta, ita & Sacramentalis Confessio, tempore in earum concessione præscripto peragantur*. Et facta per me infrascriptum ejusdem Sacr. Congr. Secretarium de præmissis omnibus SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua piis bonorum desideriis, ac votis satisfacere, & Indulgentiarum gratias iis potissimum, qui pie, sancteque vivendo, donis Divinæ Misericordiæ digniores efficiuntur, elargiri quam maxime cupiens, benigne annuit, & præfatum Indultum in forma suprascripta expediri, & publicari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Datum ex Secretaria Sac. Congr. Indulg. die nona Decem. *1763*.

N. CARD. ANTONELLI PRÆFECTUS.

F. de Comitibus Sac. Cong. Indulgentiarum Secretarius.

Decretum, quo explicatur clausula = Volumus autem = *in Brevibus Indulgentiarum inseri solita.*

UT clausulæ illius, quæ hodie Brevibus Indulgentiarum apponi solet: *Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, præsentes Litteræ nullæ sint*, vis, & sententia intelligatur, Sacr. Indulgentiarum Congregatio declaravit, ea minime contineri Altaria privilegiata pro Defunctis, neque Indulgentias, aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo; aut certum pium Opus in ipsa Ecclesia peragentibus, ut Litanias, aliasve hujusmodi preces recitantibus, & iis, qui *Christiana Doctrina* erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui

qui SSmæ Eucharistiæ Sacramenti expositioni cum Oratione quadraginta horarum intersunt, neque Stationum Urbis, & septem altarium Indulgentiis instar septem Altarium Basilicæ Vaticanæ concessas, neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Cæterum si alia Indulgentia, sive plenaria, sive non plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Christifidelibus Ecclesiam, vel aliquod ejus Altare, seu Capellam visitantibus, eodem anni die, vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in Litteris Apostolicis mentio, has Litteras, ob adjectam clausulam, esse prorsus irritas, & nullas.

AD CAPUT IX.

De Sacramento Ordinis.

N. VIII.

Elenco dei Requisiti, e Giustificazioni, che ciascun Ordinando dovrà presentare unitamente al suo Memoriale un Mese avanti l' Ordinazione, in mancanza de' quali, o di alcuno di essi non sarà ammesso all' Ordinazione.

PER LA PRIMA TONSURA.

L' Assegna del Patrimonio, che effettivamente renda il fruttato di scudi 25. annui; e questa non sarà ammessa, qualora restar dovessero spogliati gli altri della Famiglia, o di tutti, o di gran parte de' beni, sicchè dovrà rimanere una congrua porzione agli altri Fratelli, e la dote per le Sorelle (1).

Le Fedi del Battesimo, e della Cresima.

Gli Attestati di amendue i Fori, Ecclesiastico, e Secolare, di non esser mai stato inquisito, o processato.

La Fede del Parroco de' buoni costumi, e della frequenza de' Sacramenti.

PER GLI ORDINI MINORI.

LA Testimoniale della prima Tonsura, o dell' ultim' Ordine ricevuto.

La Fede de' buoni costumi, e del *frequente servizio* della Chiesa, anche nell' insegnare la Dottrina Cristiana; avvertendo i respettivi Parrochi, che per frequente servizio, si deve intender quello, che sarà prestato quasi tutte le Feste; onde se uno avesse mancato, per ragion di esempio, la metà delle Feste dell' Anno, senza legittima scusa, non dovrà farglisi Attestato; e per esser certi di ciò i Parrochi, o Rettori delle Chiese, al servigio delle quali

P i Chie-

(1) *Edictum Rom. anni 1757., Syn. Rav. Guiccioli part. 3. cap. 9., Fulgin. Baptistel. cap. 11. n. 15.*

i Chierici saranno stati ascritti, o assegnati tanto nella Città, che nella Diocesi, dovranno tenere nelle Sagrestie un Foglio, o Libro, in cui i Chierici dovranno di proprio carattere scrivere, come siegue = *Addì.... Io N. N. fui a servire la Chiesa di N., e a insegnare la Dottrina Cristiana.* E immediatamente dopo finite le Funzioni, il Parroco, o Rettore dovrà sottoscriversi in ciascheduna Festa appresso alle sottoscrizioni de'Chierici, acciocchè non vi sia luogo a farne delle furtive, e procurerà, che niuno si sottoscriva, se non sarà giunto in tempo.

La Fede per li Chierici che stanno in Città, di aver frequentata la Conferenza, che si fa nella Casa della Missione, al qual' effetto si dovrà tenere un Libro, come sopra; e generalmente tutti i suddetti Chierici dimoranti o in Città, o in Diocesi, dovranno ancora esibire la Fede di esser intervenuti alla Conferenza de' Casi, per la quale altresì dovrà tenersi il Libro, o Foglio, come si è detto.

L' Attestato de' buoni costumi.

La Fede di aver frequentati i Sacramenti almeno ogni quindici giorni.

La Fede del Maestro di Scuola, il quale dovrà specificare in essa i Trattati di Filosofia, o Teologia, o Morale, o del Jus Canonico, che avrà spiegati.

PER IL SUDDIACONATO.

Il Titolo del Beneficio pacificamente posseduto, che renda venticinque annui Scudi liberi, oppure l' effettiva assegna del Patrimonio di simile rendita. Ma questo Titolo non sarà ammesso, se non quando così esiga la necessità del Patrimonio, o l' utilità della Chiesa, a tenore della disposizione del S. Conc. di Trento, e come inculcò strettamente ai Vescovi il Ven. Innoc. XI. con circolare della S. Congreg. del Concilio dei 3. Maggio 1679.

La Fede del Battesimo, de' costumi, della frequenza de' Sacramenti, come sopra, dell' esercizio degli Ordini nel servizio della Chiesa, e di aver insegnata la Dottrina Cristiana.

Fedi della frequenza alla Conferenza de' Casi, e all' altra, che si fa alla Missione.

Fede giurata fatta da loro stessi di avere l' Abito talare, cioè Veste lunga con maniche, e Mantello parimenti lungo del proprio, di cui dovranno poi valersi, allorchè anderanno a servire la Chiesa.

Attestato di avere inceduto in abito, e Tonsura.

Fede di avere studiato per un' Anno la Teologia scolastica, o Morale, o i sacri Canoni in qualunque Scuola, con lasciare di questa la scelta all' arbitrio di cadauno, poichè non sarà promosso al Sacerdozio chi non avrà fatti per tre anni gli studj predetti.

Testimoniale dell' Ordine precedente ricevuto.

Fede del Parroco di aver fatte le pubblicazioni, e di non essergli stato denunciato alcun Canonico impedimento; e che avendo pubblicato anche il Patrimonio

trimonio

trimonio (se a questo Titolo sarà ordinato) niuno ha rilevato essere il medesimo soggetto a tali vincoli, onde dir si possa non esser posseduto pacificamente, oppure di non esser sufficiente secondo la Tassa.

PER IL DIACONATO.

Fede di aver frequentati i Sacramenti ogni Domenica, secondo il prescritto del Sac. Conc. di Trento.

Fede di aver esercitato convenientemente l'Ordine del Suddiaconato.

Fede di avere studiato per due anni la Teologia Scolastica, o Morale, o i Sacri Canoni, come sopra.

Fede del Parroco delle Pubblicazioni.

E generalmente tutte le altre Fedi accennate di sopra per il Suddiaconato, eccettuata quella della Pubblicazione del Patrimonio.

PER IL SACERDOZIO.

LA Fede degli Studj sopraccennati per tre anni.

La Fede di avere studiato, ed appreso il Canto Gregoriano.

La Fede di saper bene le Cerimonie della S. Messa fatta da' Signori della Missione, e tutte le altre Fedi dette di sopra per gli altri Ordini Sacri.

Tutti poi dovranno esibire l'Attestato di aver fatti nella Casa della Missione gli Esercizi spirituali avanti di ricevere i respettivi Ordini.

Procurino finalmente di esser esatti sì nell'esibire un mese avanti i necessarj, e già espressi Requisiti, come ancora a portare per tempo alla Cancellaria Vescovile la Fede degli Esercizj, e delle Pubblicazioni fatte dal Parroco per gli Ordini Sacri, e avvertano di comparire ben provisti di meriti, ma non mai di commendatizie, e protezioni, sicuri che non saranno queste considerate, se non che per un pregiudizio di quello, che le ha procurate, il quale anzi sarà creduto sospetto d'ignoranza, e scarso di meriti, e perciò escluso totalmente dall'Ordinazione.

AD CAPUT X.

De Sacramento Matrimonii.

Instructio juxta Decreta S. Cong. Universalis Inquisitionis Romanæ 21. Augusti 1670. pro examine illorum Testium, qui adducuntur pro contrahendis Matrimoniis.

1. IN primis Testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo Divina simul, & humana Majestas læditur, ob rei,

rei, de qua tractatur, gravitatem, & quod imminet pœna Triremium, & fustigationis deponenti falsum.

2. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3. An sit Civis, vel exterus, & quatenus sit exterus, quanto tempore est in loco, in quo Testis ipse deponit.

4. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus; si dixerit accesisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia præsumitur mendax; si vero dixerit accessisse requisitum, interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requisitus, & an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5. Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

6. Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, & a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, & cujus qualitatis, & conditionis existant.

Si responderit negative, Testis dimittatur; si vero affirmative.

